



ΒΙΒΛΙΟΘΗΚΗ
ΠΑΝΕΠΙΣΤΗΜΙΟΥ ΙΩΑΝΝΙΝΩΝ



026000331306



Г. 2
1,34



21 p. 5 h. 675. 38694

DE

VERBI GRAECI TEMPORIBUS

SCRIPSIT

Πανι
δρεϊ

RUDOLFUS KOHLMANN.

HALIS SAXONUM

IN LIBRARIA LIPPERTIANA
(MAX NIEMEYER)

M D CCC LXX III.



DE VERBI GRAECI TEMPORIBUS.

Doctrina de temporum verbi graeci natura a grammaticis vulgo prolata, qua omnia eorum discrimina partim in temporis, partim in actionis vel perfectae vel infectae significatione ponebantur, duabus imprimis rebus a recentioribus eversa est; primum, quod aoristo aliam praeter eas notionem accedere intellexerunt, deinde, quod, quum a formis verborum proficiscerentur, temporis omnino significationem non a principio in verbo expressam esse cognoverunt. Atque optime omnium G. Curtius de emendanda ea doctrina meritus est, quum non duo, sed tria actionis genera praeter temporis notionem distinguenda esse doceret, primum quod praesentis, alterum quod aoristi, tertium quod perfecti stirpe contineretur. Quae divisio in ipsis temporum formis condita quum omnibus, qui de verbi graeci temporibus scribere suscipiant, recipienda sit, ita rem pertractare instituiamus, ut de temporis primum in temporibus significatione, deinde de tribus illis actionis generibus agamus. Altera autem opusculi parte singulorum temporum usum apud scriptores inventum persequemur.

Quum cogitatio nostra omnis in distinguendis rerum varietatibus posita sit, oratione autem quae cogitata sunt proferantur, sequitur, ut quae cogitando percipiantur rerum varietates variis etiam exprimantur vocibus. Atque quum hominum cogitandi distinguendique facultatem principio exiguum modo fuisse, deinde exercendo auctam esse intelligamus, linguas quoque de parvis primordiis ita exultas esse constat, ut, simulacres accuratius inter se cogitando distinguerentur, voces et co-



pia augerentur et propriis notarentur formarum discriminibus. Quae linguae amplificatio eo usque processit, dum homines iustam quandam naturalemque cogitandi facultatem consecuti sunt, ut quae praesto erant vocabulorum formae usui loquentium sufficerent. Haec erat aetas illa antiquissima, qua, quum mobilis esset lingua, voces inventae sunt formarumque in verbis nominibusque varietas existit. Qui iam in lingua sequebatur progressus, non tam in novis vocibus formandis, quam in excolenda verborum syntaxi situs erat.

Atque id erat linguae exordium, ut, si quid in rerum universitate occurrebat, quod significatione videretur dignum, proprium ad id exprimendum fingeretur unius plerumque syllabae vocabulum. Quae voces principales, quas radices grammatici nominaverunt, aut rem aliquam oculis subiectam aut actionem aut corporis vel animi affectum significabant, aliis demonstrandi vis inerat, aliis alia.

Proximum inde erat in Indogermanorum lingua, ut quum antea vocabula solum distincta essent, iam ordines eorum forma discernerentur, nomina imprimis et verba, vel, ut Graeci dicebant, *ῥήματα* et *ὀνόματα*. Qui gravissimus in sermone progressus a verbo profectus esse videtur. Quum enim ea esset verbi natura, ut quae inerat actionis notio ad certam aliquam personam vel ad plures referretur, nihil est mirum, quod vocabula, quae huic relationi serviebant, pronomina dico personalia, cum verbi radice in unam coniungerentur vocem. Quare factum est, ut, quum antea verba et nomina neque formae specie differrent neque notione ita strenue distinerentur, verborum, quibus additae pronominum reliquiae communi essent signo, proprius existeret ordo a reliquis vocabulis ipsa forma disiunctus. Simili modo nomina quoque certis notata sunt suffixis, quibus casuum notiones significarentur. Ipsis autem radicibus mera vel verbi vel nominis, id est actionis vel rei remanebat potestas.

Sed quum rationem ubique vocabulorum formis subesse videamus, ne obliviscamur aliud etiam idque haud parvi ponderis momentum in formatione eorum statuendum esse, quod positum est in elocutione. Lingua enim quum cogitata pronuntientur, pronuntiandi quoque in formandis vocibus ratio



habenda erat, ut commoda ac placida flueret et loquentibus et audientibus oratio.

Sed omissis reliquis graecum tantum verbum respiciamus.

Sequitur ex linguae origine unam fuisse principio verbi formam, quā mera actionis notio eodem fere modo exprimebatur atque infinitivo praesentis latini. Sed quum notiones quaedam, quae verbi naturae erant affines, in ipsam reciperentur verbi formam, de una illa exstiterunt permultae. Ac primum quidem pronomina personalia radici affixa esse, deinde τῶν διαθέσεων, temporum, modorum varietates propriis formis expressae videntur. Quae formae ita saepe effingebantur, ut vocabula quaedam notiones cum verbo coniunctas referentia, quum soluta antea fuissent, cum verbi radice in unum coirent, quo factum est, ut multis ex partibus mutarentur atque mutarentur.

Sed quum ea solum discrimina perscrutanda nobis proposuerimus, quibus singulorum temporum natura perspicitur, iam de illis agere incipiamus.

§ 1.

Quae sit temporis in verbi graeci temporibus significatio.

Significandi temporis magna in verbo habita est ratio. Quum enim verbi natura ferret, ut, si ad personam aliquam actio referebatur, aut in praesenti aut in praeterito aut in futuro tempore poneretur, par erat, ut in quo tempore verbi actio statuenda esset ipsa indicaretur eius forma. Quam verbi cum tempore affinitatem iam Plato et Aristoteles commemoraverunt.

a. Duplex autem est significandi temporis modus. Ac primum quidem actio vel status aut in praesens aut in praeteritum tempus refertur. Quae tamen potestas soli indicativo accessit, ut in quo tempore reliqui modi ponendi sint, aut ex sermonis contextu aut ex ipsa modorum natura, ut in coniunctivo et imperativo, colligatur. Praeteriti autem temporis signum augmentum est, quod, quum aliis modis temporis signi-



ficatio absit, indicativo proprium est. Praesentis temporis nulla est nota alia nisi quod augmentum abest. Quum enim loquenti sit proximum, nullo eius proprio signo opus fuit. Nec tamen reliqui praeter indicativum modi, etsi augmento carent, praesentis temporis notionem ea ex re tulerunt. Praesentis igitur temporis sunt indicativi praesentis (γράφω), futuri (γράψω), perfecti (γέγραφα), praeteriti temporis imperfectum (ἔγραφε), plusquamperfectum (ἔγεγραφε), indicativus aoristi (ἔγραψα).

b. Alterum est genus, ut subiecti simul status una cum verbi actione ita significetur, ut actio, si ex subiecti illius statu iudicatur, utrum praeterita an futura sit indicetur. Quae perfecti (γεγραμέναι) et futuri (γράψειν) potestas omnium modorum est. Significat enim γεγραμέναι perfectum eius omnino statum qui scripsit, γράψειν futurum eius qui scribet, nec in quo tempore ipse ponatur status indicatur. Qui quidem si indicativo profertur, praesentis (γράφω, γέγραφα), si accedit augmentum (ἔγεγραφε), praeteriti temporis est.

In quo tamen monendum est esse eam coniunctivi et imperativi modorum naturam, ut ad praesentem ubique loquentis statum referantur. Continent autem, si praesentis aut aoristi sunt, actionem futuram, si perfecti sunt, praeteritam. Unde supervacaneum esse putaverunt modos illos tribuere futuro, quum qui de praesente vel aorist aoristo ducebantur eandem fere exhiberent potestatem.

c. Futuri igitur temporis significationem quodammodo esse neglectam intelligimus. Nam quum actio in indicativis aut praeterito tempore, ubi augmentum est, aut praesenti, ubi non est, assignetur, nullum est eiusmodi signum, quo in futurum tempus referatur, sed ita solum futura actio expressa est, ut subiecti simul status ad futuram actionem spectans contineatur (γράψειν, γράψω). Γράψω enim futurum γέγραφα perfecto respondet, neque quae ἔγραψα aoristo respondeat futuri temporis forma est.

Quae res ita explicanda videtur, ut ad futuri originem vel formationem respiciamus. Primum enim teneamus duo tantum fuisse principio tempora, alterum, quod quum ex sola constaret stirpe pronomibus personalibus aucta, praesentis esse temporis duceretur, alterum, quod quum additum esset augmentum,



praeteriti temporis notionem ferret. Futuri autem potestas apud Indogermanos ex praesentis status notione evasit. Atque in graeca quidem et in sanscrita lingua futura cum *eundi* verbo (√i) composita sunt, ut eum significant statum praesentem, quo quis ad actionem aliquam tendat vel adducatur.

Sed quum ea esset propria futuri vis, ut non futuram solum actionem, sed, si indicativo ponebatur, praesentem simul subiecti statum referret, ita tamen saepissime futurum adhibitum esse videmus, ut non praesentis status sed futurae solius actionis respectus haberetur. Nam quum una exstisset futuri forma, negligebatur in eo discrimen, quod inter *γέγραφα* et *ἔγραφα* interpositum est.

• Ex quo intelligitur duo esse futuri genera. Antiquae potestatis ea imprimis sunt, quae non per *werden*, sed per *velle* aut *destinatum* esse vertuntur, ut praesens simul subiecti status, quo quis actionem aliquam appetere vel ad rei eventum properare dicitur, significetur.

d. Actio autem utrum praesens an praeterita an futura sit, ex loquentis statu, qui praesens habetur, iudicari solet. Potest tamen tempus ad eas etiam res, quae praesentes non sunt, referri. Huius generis *ἔχεται* praesens est Thuc. 6, 91 *εἰ αὖτη ἡ πόλις ληφθήσεται*, *ἔχεται καὶ ἡ πᾶσα Σικελία*, nam id spectat temporis momentum, quod verbis *εἰ ληφθήσεται* notatum est. Similis est perfecti usus Soph. Phil. 75 *εἰ με τόξων ἐγκρατὴς αἰσθήσεται*, *ὄλωλα*. Cf. Il. 4, 164 *ἔσσεται ἡμαρ ὅτ' ἂν ποτ' ὀλώλῃ Ἴλιος ἱρή*. Eodem modo *ἀπέτισαν* aoristum Il. 4, 161 explicatum velim, quo loco Agamemnon propter vulneratum fratrem iratus haec minatur:

εἴπερ γάρ τι καὶ αὐτίκ' Ὀλύμπιος οὐκ ἐτέλεσσεν

(i. e. ut Troia expugnaretur)

ἔκ τε καὶ ὁπὲ τελεῖ σύν τε μεγάλῳ ἀπέτισαν

(sc. Troiani)

σὺν σφῆσιν κεφαλῇσι γυναιξί τε καὶ τεκέεσσιν.

Est eadem in illis inter *ἔκ τε καὶ ὁπὲ τελεῖ* et *σύν τε μεγάλῳ ἀπέτισαν* ratio quae est inter *εἰ αἰσθήσεται* et *ὄλωλα* (Soph. Phil. 75). Quum enim ea, quae aoristi indicativo praeterita actio inest, ad praesentem saepe loquentis statum referatur, ut aoristus perfecti prope vim adaequet (ut *πόθεν ἦλ-*



θες *unde modo venisti*), hoc etiam loco perfecti cum vices suscepisse verisimile est. Qui tamen aoristi usus rarissimus est. Praeterito autem in tempore praesens saepe statuitur tempus, si verba alicuius referuntur, ut ἔλεγον πολλοί, ὅτι παντὸς ἄξια λέγει — ἦκεν ἀγγέλων τις, ὡς Ἑλλάτεια κατελήπται — Od. 14, 331 ὁμοσεν ἔμμεναι ἐταίρους, οἳ μὴν πέμψουσιν ἐς πατρίδα γαίαν (*geleiten sollten*). Eiusdem generis ἔόντα participium est Il. 1, 70 ὃς ἤδη τὰ τ' ἔόντα τὰ τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἔόντα. Neque aliter res se habet si dicas ἔαρος θάλλουσι τὰ δένδρα, quibus verbis arbores nec praesenti nec praeterito nec futuro tempore florere dicuntur, sed vere. Imperfecti autem haec interdum vis est, ut id significet, quod etsi adhuc est vel esse potest, in praeterito tamen tempore, de quo sermo est, statuitur, ut Od. 13, 210 οὐκ ἄρα ἦσαν *so waren also nicht* (subest *nunc demum intellexi sic rem se habere*); 3, 292 νῆας Κρήτη ἐπέλασεν, ἦχι Κέδοντες ἔναιον. Futuro denique exacto perfecta continetur actio, quae in futuro tempore posita est.

e. Quin omni praesentis temporis sive ad loquentis statum sive ad aliam rem relati notione praesentis indicativus carere potest. Haec enim notio, quum non ipsa praesentis forma expressa sit, sed indicativo ea de causa accesserit, quod praesens tempus loquenti est proximum, non tam arcte cum eo coniuncta est, ut nunquam removeatur. Fieri igitur potest, ut praesentis indicativo propria insit praesentis vis, qua actio, quae durare cogitatur, vel status significatur, desit tamen temporis praesentis.

Sunt huius generis praesentia quae vocantur historica, de quibus Kuchnerus *Ausführl. Gr. d. gr. Spr.* § 382, 2. *„In der Lebhaftigkeit der Darstellung wird die Vergangenheit als Gegenwart angeschaut.“* Sed praeteritae actiones quomodo possunt in praesens tempus transferri? atque quum praesentia historica et aoristorum indicativos permixta saepe videamus, num scriptorem modo de praesenti tempore in praeteritum, modo de praeterito in praesens transiluisse putabimus? Sunt potius praesentia historica loco imperfectorum, ita tamen, ut non tam temporis quam ipsius actionis, in qua animi figuntur, ratio habeatur. Praeteritum autem tempus non augmento in-



dicatur sed ex sermonis contextu suppletur. Eaedem igitur sunt inter praesens historicum et aoristum quae inter aoristum et imperfectum vices. Quae praesentia etsi apud Homerum non sunt, paullum differunt ab imperfectis ei usitatis, quibus ipse proponitur actionis decursus.

Neque in narratione solum praesentis indicativo temporis significatio deesse potest, sed ubicunque mera praesentis notio nullo temporis respectu habito indicativo ponitur, ut in sententiis communibus et in comparisonibus apud Homerum imprimis usitatissimis, quae certum in tempus omnino non referuntur, sed cogitatione modo tenentur. Exemplo sit Il. 2, 459

τῶν δ' ὥς τ' ὄρνιθων πετεηνῶν ἔθνεα πολλὰ
ἔρθῃ καὶ ἔρθῃ ποτῶνται ἀγαλλόμεναι περὶ ὕεσσι,
κλαγγηδὸν προκαθίζοντων, σμαραγεῖ δέ τε λειμῶν
ὥς τῶν ἔθνεα κ. τ. λ.

Neque in aoristi indicativo, cuius in huiusmodi enuntiatis usus esse solet, propriam temporis significationem inesse videbimus.

§ 2.

De augmento.

a. Meram futuri temporis notionem non a principio futuro infuisse supra demonstratum est. Neque quod iis indicativis, qui augmentum habent, proprium esse dicebamus, ad temporis solum significationem spectasse videtur.

De augmenti natura disseruit Curtius, *Das Verb d. gr. Spr.* vol. I. 1873 p. 104 sq., qui pronomem demonstrativum (α) inesse ait, cuius notio in temporis significationem vocata eadem fere sit atque *tum* adverbii (*damals*). Sunt autem haec eius verba (p. 110) *„Es wird auf einen beliebigen Punkt verwiesen, für die Gegenwart bedarf es einer solchen Verweisung gar nicht, zur Bezeichnung der Zukunft stellte sich das Bedürfniss erst später ein, so ward jenes da das da der Vergangenheit.“*

Augmenti eam esse vim dicimus, ut actio de loquentis statu removeatur, quae potestas ex demonstrandi facultate facile exorta est. Ita autem plerumque actio removebatur, ut de praesenti tempore referretur in praeteritum. In quo mirum videatur, quod augmentum semper in praeterito, nunquam in



futuro adhibitum est. Nam quae in futuro tempore actio statuitur, non minus quam praeterita de praesenti loquentis statu remota est. Cujus tamen rei causa in propatulo est. Quum enim ea esset futuri natura, ut non futuri solum sed praesentis etiam temporis esset, nullus in eo esse poterat augmenti usus.

Invenitur tamen, ni fallor, augmentum ita etiam usurpatum, ut actio non in tempus praeteritum transferatur, sed alio modo a loquentis statu removeatur. Cuius usus tria statuimus genera.

b. Primum est, si augmentum ita adhibetur, ut quod verbo continetur praesto non esse indicetur, id quod in imperfectis hypotheticis imprimis et in (ἐ)χρῆν, ἔδει imperfectis ad praesens tempus relatis usu venire contendimus.

Qui imperfecti usus apud Homerum non invenitur; imperfecta enim ubicunque in enuntiatis hypotheticis occurrunt, ad praeteritum tempus referuntur, ut solita insit augmenti vis. Est imperfecti apud eum loco optativus praesentis. Cuius imperfecti augmento, quum non praeteriti sed praesentis temporis sit, indicatur id quod verbo praedicetur praesto revera non esse. Sunt igitur eiusmodi imperfecta praesentium loco ducenda, quae quum augmentum receperint, imperfectorum formas tulerint. Quae augmenti vis eodem iure ex principali eius notione exorta est quo praeteriti temporis significatio. Aoristi autem qui idem videntur esse et apud Homerum et apud recentiores usus, quo et ipso, quae revera facta non sunt, praeterito in tempore ponuntur, non eiusdem generis habendus est. Aoristo enim ea notio non ex augmento accedit, sed quod condicio aliqua, quae fictam modo neque factam rem continet, adiungitur, ut ea etiam, quae aoristo insunt, facta non esse indicentur. Ex qua inter aoristi et imperfecti usum dissimilitudine intelligitur, cur in carminibus Homericis, quum frequens sit aoristi, absit imperfecti de praesenti tempore usurpati usus. Optativus autem qui imperfecti apud Homerum loco est, ea de re similem ei sententiam exhibet, quod, quum cogitatum eo proferatur quod sitne annon in medio plane relinquitur, ea etiam possit significare, quae revera non sint.

c. Alterum est genus aliqua ex parte huic simile, si aoristi indicativo fictae modo res quaeque tempore solutae in cogitatione modo versantur proferuntur. Qui usus in comparationibus imprimis Homericis invenitur, quum quae comparandi



causa repraesentantur, aliquando neque certo tempore fieri fingantur, ut in his Il. 3, 33

ὥς δ' ὅτε τίς τε δράκοντα ἰδὼν παλινόρσος ἀπέστη
οὔρεος ἐν βήσσῃς, ὅπό τε τρώμος ἔλλαβε γυῖα,
ἄψ τ' ἀνεχώρησεν, ὥχρός τέ μιν εἶλε παρειάς,
ὥς αὖτις καθ' ὁμίλον ἔδν.

Sed aliorum etiam scriptorum est neque in comparationibus solum locum tenet. Cf. notissimam illam Platonis de anima allegoriam 246^a c. 25 *ἐοικέτω δὲ (ἡ ψυχὴ) κτλ.* Atque permixtum interdum videmus hunc augmenti usum cum eo de quo modo (v. b) egimus, ut Pl. Theag. 123 *εἰ ἐπεθύμεις ταύτης τῆς σοφίας, τί ἂν ἀπεκρίνω;* — *εἰ τίς σε ἤρετο, τί ἂν ἀπεκρίνω;* (*si quis te interrogaret, quid responderes?*). Soph. O. T. 1372

ἐγὼ γὰρ οὐκ οἶδ' ὅμασιν ποίοις βλέπων
πατέρα ποτ' ἂν προσεῖδον εἰς Αἶδον μολών.

Mera his aoristi indicativis aoristi notio inest, qualis est infinitivi. De qua re, ubi aoristum tractabimus, copiosius disseretur (§ 3).

d. Tertium nobis de aoristo gnomico agendum est. Quo id significari putant, quod, quum praeterito tempore factum sit, saepius fieri dicatur. Gnomici autem aoristi nomen protulit Doederleinus (*Red. u. Aufs. II. sub fin.*). Primum video in Hoogeveenii et Zeunii ad Vigerum animadversionibus p. 210 (sec. Hermannii editionem) de historica aoristi gnomici natura esse dubitatum, quum Iohannis verbis (15, 6) *ἐὰν μή τις μένῃ ἐν ἔμοι, ἐβλήθη ἔξω* haec sint addita, *et in his quidem casibus aoristus neque praesentis significationem habet neque per verbum soleo reddi potest, sed indeterminato tempore etiam futurum continetur: nam dantur loci, in quibus neque per praesens neque per verbum soleo, sed per futurum reddi debet, ita tamen, ut infiniti temporis significatio non perdat; itaque in versione commode adverbium semper additur, aoristi Graecorum naturam aliquatenus referens.* Recentiore autem tempore E. Mollerus (*Philolog. VIII, 1853*) inveteratam de aoristo gnomico sententiam impugnavit, quum nullius eum temporis esse demonstraret. Causas autem affert has, primum quod ex eo, quod factum aliquid semel esse dicatur, nisi litotes, quae plurimis locis inepta plane



sit, accipiatur, non is exoriatur sensus, ut saepius fieri vel fieri debere ducatur, deinde quod cum praesentibus saepe eiusmodi aoristi coniuncti sint, tertium quod coniunctivus modus eos sequatur.

Nec tamen Molleri sententiam receptam a multis video. Reiecerunt eam Kruegerus et Kuehnerus, acceperunt Alex. Buttmannus, *Gramm. d. N. T.* et Pfuhlius, *Die Bedeutung des Aor. Progr.* Dresd. 1867, cuius haec sunt verba (p. 38) *„der gnomische Aorist lässt sich nicht als Praeteritum betrachten, da doch die Darstellungsform für einen vorgekommenen einzelnen Fall unmöglich zugleich eine Wiederholung oder ein Pflegen veranschaulichen kann, und sodann weil — ein Umstand, durch den die Anschauung der Griechen von der fraglichen Verbalform über allen Zweifel erhoben wird. — diesem nur äusserlich praeteritalen Aorist die Nebensätze sich im Coniunctiv anfügen.“*

Atque satis putamus validas esse causas a Mollero prolatas, cur gnomico aoristo praeteriti temporis notio abiudicanda sit. Frustra Fr. Frankius (*Berichte der kgl. sächs. Gesellsch. der Wissensch.*, 1854), veteris sententiae cum Kruegero defensor refellere Mollerum studuit. Neque enim quae ille dixit intellexit neque sententiae suae probabiles attulit causas, quas referre longum est.

Aoristus in sententiis et in comparisonibus usitatus, si praeteriti temporis esse creditur, ea quae admixta saepe sunt apud Homerum aliosque scriptores praesentia, et ipsa historica esse dicendum est, quae imperfectorum locum teneant. Historici autem praesentis usum, quum apud Homerum alias non inveniatur, ab his etiam locis alienum esse putabimus.

Atque fallitur sane Kruegerus, quum eorum aoristorum exemplis, qui ἦδη, πολλάκις, aliis vocabulis apposis praeteriti esse temporis indicantur, gnomiconum aoristorum exempla apponat, quo his quoque ἦδη, πολλάκις et quae similes sunt notiones subesse demonstret. Minime enim, qui in comparisonibus aoristi sunt, hoc modo explicari possunt.

Sententiis communibus quae proferuntur, quum non certi alicuius, sed cuiusvis temporis sint et cogitatione modo teneantur, recte possunt de praesenti loquentis statu reiici. Nam quae in augmento erat tum adverbii potestas, in indefinitivam



facile vim converti poterat, ut actio non ita de loquentis statu removeretur, ut in praeterito tempore vel in certo eius momento poneretur, sed ita ut data occasione fieri diceretur.

Licet tamen easdem sententias in praesens referre tempus, quum quae cuiusvis temporis sint, de praesenti etiam tempore praedicari possint, ut vel *ἄνθρωπος νοῦν οἶνος ἔδειξεν* vel *δείκνυσι* dicatur. Hoc autem proprium est aoristo, quod certus eo ponitur tempore aliquo eveniendi casus.

Atque subest interdum eiusmodi aoristis quaedam futuri temporis notio, si protasis est hypothetica, ut II. 9, 508

ὅς μὲν τ' αἰδέσεται (i. e. αἰδέσεται) κόρας Διὸς ἄσπον-
 λούσας

* τόνδε μέγ' ὀρήσαν

(i. e. *eum adiuvant vel adiuvabunt*). Quibus in sententiis, quum non praesens sed cogitatum modo subiectum proponatur (ὅς μὲν τ' αἰδέσεται κόρας Διὸς), futuri, quod non ad futurum solum sed ad praesens simul tempus pertineat, usus esse non solet.

e. Sed quum augmentum in imperfectis hypotheticis idcirco adhibitum esse intelligamus, ut quod verbo insit praesto non esse indicetur, in sententiis communibus et in comparationibus non propriam ei removendi de loquentis statu potestatem attributam esse putabimus. Receptum id esse dicendum est ex solita aoristi forma, quum indicativi, quae augmento careret, forma deesset neque ea esset augmenti natura, quae sententiarum et comparationum locutioni repugnaret.

Namque imperfectum alienum esse videmus huiusmodi enuntiativis, quum ejusdem notionis augmento solutae praesentis indicativi forma esset. Recte enim his locis imperfecta quaedam, quae apud Homerum inveniebantur, ab Hermannō et aliis remota sunt. Neque *ἔχραε*, *ἔχλευε* formae pro imperfectis prorsus habendae sunt, quum aoristi simul et imperfecti vim contineant. Praesentis autem indicativos in sententiis communibus et in comparationibus ipsos quoque temporis praesentis notionem amittere commemoravimus. Nihil igitur est mirum, quod aoristi et praesentis indicativos permixtos in illis videmus. Sunt eadem plane inter eos vicissitudines, quae sunt in narratione inter aoristi indicativum et imperfectum.



Statuendum igitur est, ubicunque loquenti aoristo opus esset, neque eo in praeteritum tempus translato, sed eo qui aoristi solum, qualis in infinitivo exstat, vim neque temporis simul notionem ferret, aoristi indicativum usurpatum esse dum per augmenti naturam liceret.

Augmenti autem notionem minime esse oblitteratam ex eo colligitur, quod post Homeri etiam tempora propria ejus vis in novum vocabatur usum, qui exstat in imperfectis hypotheticis. Neve quis ex eo, quod augmentum persaepe apud Homerum deest atque ab Atticis etiam scriptoribus interdum omittitur, non ita magni id ad temporis notionem efficiendam fuisse ponderis colligat. Quum enim tempora augmento praedita aliis praeter illud rebus a ceteris differre coepissent, excidebat saepe augmentum, quum remaneret in verbo eius potestas. v. Curtium, *Erl. z. Schulgr.* § 234, 235.

Explanata igitur temporis in temporibus significatione iam de tribus actionis generibus in verbo distinctis disseremus. In quo monemus, ne quis actionis et temporis notiones confundat.

Antea quum duo tantum actionis genera statuerent, alterum praesentis, qua actio infecta, altera perfecti, qua actio perfecta contineretur, ut quo aoristum apte referrent, nescirent, Curtius primus tertiam addidit actionem aoristi. Duo imprimis in verbi graeci temporibus spectanda esse docet, primum quod *Zeitstufe*, alterum quod *Zeitart* appellat. Prioris tria esse genera, praesens, praeteritum, futurum tempus, posterioris totidem, unum quo durare actionem (*dauernde Handlung*, ut in *γινώσκειν allmählich kennen lernen*), alterum quo inire (*eintretende Handlung*, ut in *γινώσκειν erkennen, inne werden, merken*), tertium quo perfectam esse indicetur (*vollendete Handlung*, ut in *ἐγνώκειν erkannt haben, wissen, nosse*). Quorum primum omnibus praesentis, alterum omnibus aoristi, tertium omnibus perfecti modis inesse.

Gravissimum autem discrimen inter aoristi et praesentis actiones institutum est, de quo primum agamus.



§ 3.

De eo quod inter proprias aoristi ac praesentis
notiones intercedit discrimine.

De praesentis et aoristi discrimine ubi agitur, non indicativum aoristi vel praesentis respici volumus, sed infinitivum. Aoristi enim indicativo non mera inest aoristi vis, sed, quum augmentum additum sit, praeteriti temporis significatione aucta. Nec minus praesentis indicativo praeter praesentis, quae in infinitivo est, vim praesentis temporis notio accessit.

a. Simplex aoristo subfuerit notio necesse est, quam tamen verbis concipere difficillimum est. Significare cum dico facinus aliquod (*That*) vel rei eventum (*Ereigniss*), atque ita plerumque, ut qui inest effectus sive ad subjectum sive ad objectum pertinens respiciatur. Praesente autem subjecti aliquis status continetur vel quae durare cogitatur actio.

Quod discrimen magni sane momenti est. Est igitur, ut exemplo utar, γελᾶν idem quod est esse ridentem, quod contra γελάσαι in risum prorumpere, risum tollere; θνήσκειν τινά ubi dixeris morientem aliquem esse ais, quum θανεῖν sit mortem obire, ut, quum praesente morientis status, aoristo mortis eventus significetur.

Cuius discriminis indicia aliis etiam in linguis inveniuntur. Quum enim eidem plerumque infinitivo et aoristi vis et praesentis sit, ut in *lachen* vel *sterben*, nec minus in *ridere* vel *mori* infinitivis et γελᾶν vel θνήσκειν praesentia et γελάσαι vel θανεῖν aoristi contineantur, exstant tamen non pauci, quibus aut praesentis solum ut in *dormire* aut aoristi ut in *conspicere* vis inest. Aoristi autem vim ita saepe verbis additam videmus, ut praefigantur praepositiones, ut *facere* (πράττειν vel πράξαι) — *efficere* (πράξαι). Qua de re Curtius *Erl.* p. 176 copiosius disseruit. Cf. *gr. Schulgr.* § 485. Est autem inter ea tempora quae Francogalli *Imparfait* et *Passé défini* nominant, idem fere discrimen quod inter imperfectum, cui praesentis, et aoristi indicativum, cui aoristi notio subest. Proxime autem in hac re slavicae linguae ad graecum usum accedunt. (v. *Pfuhlium* p. 14 et 35). Distinguunt enim inter verba *momentanea*, quibus aoristi, et verba *durativa*, quibus prae-



sentis vis inest. Durativis autem ex verbis, si praepositiones quaedam adduntur, prodeunt momentanea.

Obscurata interdum videtur vetusta aoristi vis, ut aoristi eam esse vix putes, ut in *θορεῖν*, *δραμεῖν*. Nec tamen *θορεῖν* ejus qui saliendo occupatus est, sed ejus qui prosilit seu *pro-rumpit* actionem proponit, neque *δραμεῖν* currentis, sed ejus qui currere incipit.

b. Proprium autem est praesenti, ut non eum modo subjecti statum significet, qui in durante aliqua actione constet, sed eum omnino, qui actionem aliquo modo contineat. Qui status aut talis est, ut actio saepius in eo repetatur, aut is qui praeteritam vel futuram actionem contineat.

Repetitae actionis eandem esse significationem atque ipsius actionis notissimum est, ut si quis dicat *ὁ γραμματεὺς γράφει δίχα* aut scribendo nunc eum occupatum esse aut scribere solere significet. Unde solitae actionis notio exorta est. Cujus generis sunt sententiae communes, ut *οἱ θεοὶ ζημιοῦσι τοὺς κακούς*.

Alter est praesentis aut pro perfecto vel aoristo ad praesens subjectum relato (ut *τίπτειν matrem esse*, *θνήσκειν mortuum esse*) aut pro futuro usus. In quo temporis notionem neglectam videmus, quum et futura actio et praeterita uni praesentis formae inesse possit. Respicitur praesens solum subjectum (§ 8).

c. Aoristi et praesentis notiones, quum in eodem exprimerentur verbo, inter se opponebantur. Accuratius igitur perscrutandum erit, quae inter eas discrimina ex ipsarum natura, qua aut facinus aut subjecti statum significabant, effluerit.

Ac primum quidem statuendum est aoristo concipi id, quod absoluti facinoris, cui initium simul et finis insit, speciem ferat, quum praesente quod durare fingatur proponatur. Facinus autem vel rei eventus quum temporis spatium explere non cogitetur, nihil aoristo inest quod durare putes. Etsi enim omnia quae accidunt temporis aliquod momentum implent, in aoristo tamen non temporis diuturnitas, sed qui inest effectus vel facinus spectatur, ut *θανεῖν* aoristo *τοῦ θνήσκειν* significatio abest.

Duplex autem est inter aoristum et praesens ratio. Aut enim praesente actus vel status significatur, qui ad eum qui aoristo continetur effectum vel rei eventum, ut ad finem ipsius, perducit, ut *θυήσκειν* ejus est status, qui ad mortem (*θαρῃν*) properat (*γιννώσκειν allmählich kennen lernen, γινῶραι erkennen; πείθειν suadere, πείσαι persuadere*). Aut ea est praesentis notio, ut actum vel statum, qui id quod aoristo inest sequitur significet, ut *φεύγειν* praesens (*in fuga esse*) *φυγεῖν* aoristum (*fugam capessere*) sequitur. Aoristo autem aut is significatur rei eventus vel effectus, ad quem quod praesente continetur tendit, ut *πείσαι* est *persuadere*, quum *πείθειν* sit *suadere*, *πράξαι* *perficere*, quum *πράττειν* sit *agere*, *betreiben*, aut suscipi praesentis actionem vel inire statum indicatur, ut *βασιλεύσαι* est *regem fieri, regnare incipere*, *γελάσαι* *risum tollere*.

Atque quum duplex hinc existat aoristi potestas, prima qua rei effectus, altera qua actionis ad effectum perducentis initium concipitur, eidem saepe aoristo vel prior vel posterior significatio est. Est exempli gratia *φυγεῖν* aut id quod nos dicimus *die Flucht ergreifen* aut id quod est *durch die Flucht entkommen*; est *βαλεῖν* aut *nach jemand werfen* aut *jemand treffen*. Quarum notionum utramque simul eodem saepe loco subesse videmus (*ἔφυγε er ergriff die Flucht und entkam, ἔβαλε er warf und traf*), ut initi simul et prospere peracti facinoris notio reddatur. Aoristi autem quum duplex vis sit, duplex etiam praesentis est, ut quum *φυγεῖν* aut sit *die Flucht ergreifen* aut *durch die Flucht entkommen*, *φεύγειν* praesens *φυγεῖν* aoristum aut antecedit (*φυγεῖν zu entkommen suchen — φυγεῖν entkommen*) aut sequatur (*φυγεῖν die Flucht ergreifen — φεύγειν auf der Flucht befindlich sein, in fuga esse vel exsulem esse*).

Quum autem variae sint inter aoristum et praesens rationes, colligendum ubique est ex orationis contextu, quae earum subsit. Atque quum praesentis indicativo praeter ipsam praesentis vim praesentis etiam temporis notio adjuncta sit, quumque quae in praesens tempus incidunt, durare cogitentur, ita saepe res cadit, ut, etsi aoristi notio exhibetur, praesentis tamen forma postuletur. Sic *πείθειν*, etsi per se non *persuadendi* (ut *πείσαι*), sed *suadendi* modo notionem habet, quum



in praesens tempus refertur, aoristi vim recipere potest, ut Plat. Apol. 37^a *πέπεισμαι ἔγωγ ἐκὼν εἶναι μηδένα ἀδικεῖν ἀνθρώπων, ἀλλὰ ὑμᾶς οὐ πείθω* (sed persuadere vobis nequeo). *Simile est οὐκ ἔπειθεν αὐτούς* (persuadere iis non poterat). Vice versa quae, quum per longum temporis spatium extensa sint, praesentis formam, id est durantis actionis notionem exposcere videntur, si absoluti et unius facinoris specie comprehenduntur, aoristo ponuntur.

Reprehendit Curtius, quod quae inter singulorum verborum aoristos et praesentia rationes sunt, non satis respiciantur (*Erl. z. Schulgr.* p. 177).

d. Sunt autem, si formam respicimus, duplicis generis aoristi, quum aut radix iis subsit (*φύγειν*, $\sqrt{\text{φύγ}}$), aut radix vel praesentis stirps cum σ litera composita (*γραφ-σ-αι*, *γράφαι*, $\sqrt{\text{γραφ}}$). Cujus formationis aoristi quum aetate posteriores sint, perverso nomine vocantur *primi*.

Atque quum radicem aoristi saepius quam praesentis et imperfecti formam reddere videamus, propriam aoristi vim in radicibus praevaluisse apparet. Primi autem aoristi σ litera non minus quam futuri refertur ad verbum substantivum, cuius $\epsilon\varsigma$ radix est (*as*). Curtius, *das Verb. d. gr. Spr.* p. 17 hoc modo rem explicat, *Während ἔδον d. i. a-dant in die Sprechweise der späteren Zeit übersetzt tum dantes bedeutete, hiess ἔ-δο-σαν d. i. a-da-sant tum dantes erant*. Cf. *Erl. z. Schulgr.* § 267, *Der Stamm λν-σα bedeutete eigentlich lösen sein, ἔλυσα ich war lösen oder lösend*. Cui tamen sententiae ea de causa non prorsus assentimur, quod esse notio non aoristi sed praesentis et imperfecti est. Aoristi autem et praesentis notiones quum ipsis distinguerentur formis, non eandem principio aoristi primi quam praesentis vim fuisse verisimile est. Pfuhlius, qui multum in exquirenda aoristi vi versatus est, haec dicit (p. 13), *Die Annahme, dass hier die blosse Wurzel as (es-se) mit dem Verbalstamme verwachsen sei, erscheint nicht gerechtfertigt, da der Aorist den Begriff des Seienden, Bestehenden nicht enthält*. Aut igitur ita statuendum est, ut, quum quae σ literae origo esset ex memoria loquentium excidisset, iam propria significandi vis commutaretur in eam, quae secundi aoristi potestatem adaequaret, aut eorum praeferenda est sententia, qui, quum



eandem in aoristo quam in futuro formandi rationem statuunt, σ litteram ad antiquum verbi substantivi aoristum revocant.

Qua quaestione in medio relictā id modo teneamus secundum et primum aoristum usu non esse distinctos.

Praesentis autem stirps ita plerumque formabatur, ut radix aliquo modo amplificaretur (*Praesens-Erweiterungen*), quo aut durantis actionis vel status species redderetur (φύγ φεύγω, λιλπω) aut propriae praeterea adderentur notiones, ut praesentia, quibus i littera inest, cundi id est *versandi in aliqua re*, quarum vero σz notam esse videmus, nisi iterativa eius vis est, progredientis actionis vel eius quae ad finem aliquem perducit significationem exhibent. A autem vocalis, quum non praesenti solum, sed aoristo etiam addita sit (ἐ-λι-π-ον, á-lip-a-m), propriam praesentis vim effecisse non videtur (*stammbildendes a'*), ut in iis praesentibus, quibus nulla nota alia est, nisi quod radici a illud appositum est, ipsi radici praesentis vim attributam esse putemus.

Neque mirum est, quod lingua in quibusdam verbis aoristi et praesentis notiones non distinxit, ut ea quae unā aderat forma utramque complecteretur. Cujus generis sunt ἔφατο ἔκλυε imperfecta, ἔδυν aoristus (v. Thierschium, *gr. Gr.* § 290, 7). Qua in re grammatici saepe peccaverunt, quum imperfectum pro aoristi indicativo usurpari docerent. Sunt potius antiquissimae aetatis testimonia, qua aoristi et praesentis notiones eadem concipiebantur radicis forma. Quem tamen usum alia nonnulla praeterita, ut ἔξετο, secuta sunt.

e. Nec tamen primi et secundi aoristi eadem prorsus natura est. Aoristi enim vim, si cum praesentis potestate compareretur, eam esse diximus, ut aut effici significetur, ad quod praesentis actio tendat, aut incipere hujus vel actionem vel statum exprimatur. Quarum notionum quum posteriorem solam verbi substantivi aoristus recipere posset, ut *esse incipere* significaret, primi etiam aoristi una cum forma notionem eius tulerunt, ut βασιλεύσαι esset *regnare incipere* vel *regem fieri*, γελάσαι *ridere incipere* vel *risum tollere*. Atque est sane haec notio primorum aoristorum propria. Etsi enim ea saepe inter aoristum secundum et praesens ratio est, ut quod praesente exprimitur id quod aoristo secundo inest sequatur, non propria



tamen huic significandi initii potestas est. Cui ἰδεῖν et σχεῖν aoristi non repugnant; est enim ἰδεῖν non *videre incipere* sed *conspicere, oculos ad aliquid conferre*, neque σχεῖν *habere incipere* sed *ergreifen*. Quod inter secundum et primum aoristum discrimen jam Pfuhlus notavit (p. 12).

Sed quum aoristi in aequum omnes vocarentur usum, primi etiam aoristi praeter propriam quam diximus significationem eam quoque receperunt, qua effici aliquid exprimitur (πράττειν *betreiben*, πράξαι *bewirken*), aut qua tota actio comprehenditur. Cujus posterioris generis hoc et exemplum: οἱ Κύκλωες λέγονται ἐν Σικελίᾳ οἰκῆσαι (v. Curtium *Erl.* § 496), in quo οἰκῆσαι aoristo non praeteritum tempus indicatur — nulla enim est infinitivo temporis significandi vis — sed habitandi actio unius et absoluti facinoris notione comprehensa. Cyclopes enim Siciliam non iam habitare intelligebatur.

Atque hoc etiam primi aoristi proprium est, quod effectus vel eventus notio saepius ei abest quam aoristo secundo. Inest quidem in πράξαι (*efficere*), πείσαι (*persuadere*), abest tamen ab οἰκῆσαι, si non *ansiedeln, hinziehen* significat (ut ὄκησεν εἰς Θήβας Schol. Eur. Phoen. 1116; cf. Il. 2, 668), sed habitandi ut ita dicam facinus (οἱ Κύκλ. κτλ.) complectitur, et a βασιλεύσας, si non per *quum rex factus esset*, sed per *postquam regnavit* vertendum est.

f. Alii quae de aoristi natura docuerint hoc loco referre longum est. Inter recentiores Curtium imprimis de temporum natura recte explicanda meritum esse supra diximus. Nec tamen comprobaverim, quod cum Kruegero propriam *ineundi* notionem ubique aoristo inesse ait. Bene enim quum duplicem aoristi usum, distinxerit (v. *Erl.* cap. 20), alterum quem *den ingressiven Gebrauch des Aoristes* (βασιλεῦσαι *regnare incipere, regem fieri*), alterum quem *den effectiven Gebrauch* nominavit (πράξαι *efficere*, πράττειν *betreiben*), non apte tamen videtur hunc posteriorem ad incuntis actionis notionem retulisse.

E. Mollerus, *der gnom. Aor.*, ipse quoque propriam aoristi significationem ad temporis notionem omnino non pertinere contendit. Dicit enim haec *Der Aorist ist kein Tempus, er enthält die Bestimmung der momentanen, der schlechthin vollendeten, der in einem ungetheilten Denktact als abgeschlossen vor-*



gestellten That. K. W. Kruegers Eintritt steht nicht damit in Widerspruch, indem oft der Eintritt als Factum an sich aufgefasst wird. Dieser Begriff des Momentanen hat aber nichts mit der Zeitstufe zu thun.' De qua re Pfulius copiosius disseruit. Inesse dicit aoristo, ut ipsius utar verbis *„eine zeitlich beschränkte Thätigkeit“*, aut ita, ut quod aoristo exprimatur, nullum expleat temporis spatium, ut *παρεῖν*, aut ita, ut etsi duret durare tamen non fingatur, sed una absolutae actionis specie, cui et initium et finis simul insit, comprehendatur. Posse autem aut initium magis actionis aut finem respici. Atque eam simul esse aoristi notionem, ut actio aliquando fieri significetur, unde aut praeteritum in tempus (*ἐποίησα*), aut in futurum (*ποιήσω*) transferri possit. Varias igitur aoristi potestates quum bene explicaverit, eam tamen notionem, qua effici aliquid exprimitur, neglexit. Neque intelligitur, quomodo ex proposita aoristi natura sequatur, ut aliquando actionem fieri statuatur. Quae notio ne propria quidem aoristi est, quum eadem praesentis infinitivi esse possit.

Veterum grammaticorum graecorum de aoristi natura doctrinam non commemorabimus. Non recte autem Curtius Erl. p. 175 illorum *συντέλειαν* notionem eam esse ait, qua effici aliquid indicetur (*„effectiver Gebrauch des Aorists“*). Neque Mullachius quum *παράτασιν* et *συντέλειαν* eodem modo quo proprias praesentis et aoristi notiones differre dicat, quid illa grammaticorum vocabula sibi velint cognovit.

§ 4.

Aoristi ac praesentis notiones quomodo in verbi temporibus cum temporis significatione confluerint.

Discrimen inter aoristi et praesentis notiones institutum quo in augenda temporum copia momento fuerit videamus. Nam quum tres sint temporis status (*„Zeitstufen“*), unus praesentis, alter praeteriti, tertius futuri temporis, iam quoniam aoristi et praesentis notiones distinctae sunt, sex fortasse putes exstitisse tempora, ut cuiusque status et ea esset forma, quae praesentis, et ea, quae aoristi potestatem referret. Explicandum igitur est, qui factum sit, ut praeteriti solum temporis



duplex forma prodierit, altera praesentis, altera aoristi vi praedita.

Praesentis temporis aoristus esse nequit. Quum enim quae in illud referuntur durent, aoristo autem quae durare finguntur non contineantur, solius praesentis usus esse poterat, quippe quo durans significetur actio. Accedit quod ea quae durare cogitabatur actio, si ad praesentem loquentis statum referebatur, praesentis omnino actionis notionem facile ferebat (v. § 5 a). Atque quum ea esset indicativi modi natura, ut praeter actionis notionem vel praeteriti temporis, ubi augmentum est, vel praesentis, ubi non est, significationem plerumque haberet, remotus est qui augmento careret aoristi indicativus.

Neque in futuro aoristi et praesentis notiones variis seiunctae sunt formis. Futuri enim temporis non eandem habitam esse rationem quam praeteriti supra demonstravimus. Aut igitur suscepturum vel effecturum me aliquid esse aut negotio aliquo me occupatum iri futuro indico, ut *γράφω τὴν ἐπιστολὴν* aut per *epistolam scribendo absolvam* aut per *epistola scribenda occupatus ero* vertenda sint. Sed quum futura actio aoristi et praesentis coniunctivo et imperativo ubique insit, optativo autem inesse possit, quumque infinitivus etiam et participium modi temporis notione per se omnino soluti in futuro saepe tempore ponantur, aut eam, si reliquorum praeter indicativum modorum usus est, actionem futuram esse significatur, quae aoristi, aut eam, quae praesentis vim exhibeat.

Solius igitur temporis praeteriti, quum una antea fuisset forma, ad quam fingendam radici vel stirpi pronomibus personalibus auctae praeponeretur augmentum, iam duo facti sunt indicativi, imperfectum et indicativus aoristi, quum praesenti et aoristo augmentum adderetur.

§ 5.

De perfecto.

a. Tertia praeter aoristum et praesens perfecti stirps est, cuius signum in reduplicatione positum est. Reduplicatione autem id effci, ut verbi potestas aliquo modo augeatur constat. Namque multiplex eius erat usus, ut non in perfecto solum, sed in reliquis etiam temporibus locum haberet. Prae-



sentis est in βιβρώσῳ γιγνώσῳ, quo durantis vel progredientis actionis, in μορμύρῳ γογγύζῳ παφλάζῳ, quo soni, in παμφαίνῳ μαρμαίρῳ, quo splendoris longe fulgentis, in μαιμάῳ λιλαιόμῳ, quo appetitus species reddatur (v. Curtium, *Tr. u. Mod.* p. 153 sq.). Aoristi secundi non raro apud Homerum est (πεπιθεῖν λελαθέσθαι λελαβέσθαι), nec non futuri in reduplicatis apud eum formis, quibus simplicium futurorum notio est. Sed quum proprium exstiterit in perfectis et in aoristis reduplicatis reduplicationis genus, quod ipsa forma ab eo, cuius in praesentibus usus est, seiungitur (γιγνώσῳ μάλιστα μορμύρῳ — τεθνηκέναι λελαβέσθαι), sequitur et propriam atque certam fuisse huius reduplicationis notionem et eandem principio fuisse aoristi reduplicati atque perfecti. Eam autem his communem fuisse putandum est significationem, qua postea etiam, quum alia re satis distincte differrent, quandam tamen notionis similitudinem retinuerunt. Atque id sane perfectis et aoristis reduplicatis commune est, quod, quum praesente actio durans vel progrediens proponatur, perfectam significant actionem. Quam aoristo etiam inesse, quippe quo absolutum contineatur facinus, supra explicatum est. Neque alia est in reduplicatis apud Homerum futuris atque in aoristis reduplicationis potestas, quum his quoque absolutum facinus vel id quod absolvi fingitur proponatur. Perfectam verum actionem ne quis eandem prorsus esse putet atque praeteritam. Posteriore autem aetate, quum perfectum et aoristus et notione et forma accurate inter se distinguerentur, reduplicatio proprium perfecti signum factum est et ab aoristo recessit, ut, quum multa reduplicatorum aoristorum exempla apud Homerum inveniantur, perpauca tamen apud posteriores servata sint (ἀγαγεῖν). Ea autem perfecti notio evasit, ut subiecti significaret statum in perfecta actione conquiescentem, quum aoristo merum notaretur facinus absolutum (v. Curtium, *Erl.* p. 102). Neque qui factum sit, ut reduplicatio in perfecto remaneret, ab aoristo recederet, ita obscurum est. Primum enim forma amplificata ad durantis magis actionis quam ad facinoris quod durare non cogitatur significationem apta est; altera est causa, quod, quum meris plerumque radicibus propria aoristi hoc est absoluti facinoris notio inesse putaretur, aoristi secundi, etsi solas continebant



radices, eandem tamen retinebant potestatem, quae reduplicatione addebatur.


Quod inter perfectum et aoristum discrimen in latina lingua non institutum est, ut uno perfecto, cuius et graeci perfecti (*pepigi πέπηγα*) et aoristi (*intelleg-si intellexi, ἔλεγ-σα ἔλεξα*) formatio est, utrumque tempus comprehenderetur.

Perfecta actio ne pro praeterita haberetur monuimus. Nec tamen mirum est, quod actio perfecta, si ad praesentem loquentis statum referebatur, praeteritae notionem facile tulit, quum eodem modo durantem actionem praesentis plerumque status speciem efficere videamus. Atque aliis in linguis durantis et perfectae actionis notiones in eum prorsus vocatae sunt usum, ut aut praesentem aut praeteritam actionem significarent, id quod in latina et in theodisca lingua factum esse intelligimus. Nostra enim in lingua quum duae essent verbi stirpes, altera praesentis, altera praeteriti temporis, quae praeteriti erat, notabatur reduplicatione. Ad quod *pepigi cecidi* nec non *intellexi* (*intelleg-si*) perfectorum usus accedit. Graeci tamen fere soli perfectae actionis et temporis praeteriti notiones non confuderunt, quum hujus notam retinerent augmentum. Perfecto enim graeco non praeteritae actionis significatio est. Sed quum ea statueretur ejus notio, ut statum in perfecta actione conquiescentem exprimeret, actio, si ex sequente statu judicatur, praeterita sit necesse est.

b. Respondet igitur perfectum futuro, quo ipso quoque significatur status, qui futuram actionem continet. Atque quomodo futuri ea principio erat potestas, ut significaret statum, qui ad actionem perduceret, jam vero quae inde exoriebatur futurae actionis notio ita plerumque praepollebat, ut futurae solius actionis neque status simul respectus haberetur, eadem fere ratione in perfecto, quo notabatur status in perfecta actione positus (ut *κέκτημαι possideo, γέγηθα laetitia captus sum, laetor*), ita saepe status notio recessit, ut actio cum eo laxè cohaereret, ut II. 24, 391

τὸν μὲν ἐγὼ μάλα πολλὰ μάχῃ ἐνὶ κυδιανείῳ
ὀφθαλμοῖσιν ὅπωπα.

Ex eo autem, quod perfectorum, in quibus actio cum statu arcte conjuncta est (ut in *γέγηθα*) frequens apud Homerum



invenitur usus, quum postea aliqua ex parte obsoleverit, hunc vetustum esse colligitur. Nec tamen florentibus quidem Graecorum literis eo res perducta est, ut perfecto eodem plane modo actio praeterita atque futuro futura exprimeretur, quum praeteriti temporis propriae essent aoristi indicativi et imperfecti formae. In vulgari vero quae vocatur linguae graecae dialecto (*κοινή*) perfectum ad aoristi saepe notionem descendit, in quo Romanorum dicendi genus valuisse apparet, quibus una perfecti forma et perfecti graeci et aoristi indicativi loco erat. v. A. Buttmannum, *Gr. d. N. T.*

Ad futuri igitur similitudinem perfecti graeci notio effecta est. Quibus temporibus id etiam commune est, quod, quum indicativo ponuntur, ad praesens tempus referuntur, quodque temporis significationem, qua aut praeteritam aut futuram, si ex subjecti statu judicatur, actionem concipiunt, omnes per modos retinent, quum alterum significandi temporis genus in solo valeat indicativo.

c. Perfectum, quum et absolutum aliquod facinus contineat, ut aoristus, et subjecti statum, ut praesens, et ad aoristi et ad praesentis, notionem natura accedit. Neque mirum est, quod aoristus et praesens hujus saepe vices susceperunt.

Ab aoristo differt eo, quod hoc merum significatur facinus, perfecto autem et facinus et qui in eo conquiescit subjecti status. Aoristus igitur perfecti loco esse potest, si sola notata actione ipse status non forma exprimitur, sed ex sermonis contextu colligitur, ut si pro *οἱ τεθνηκότες* (*mortui*) ponitur *οἱ θανόντες*. Qui aoristi pro perfecto usus frequens est, quum faciliorem aoristi formam perfecto praeferrent. Saepe enim aoristi indicativus ad praesens refertur subjectum, ut Soph. Aj. 1026

*εἰδες, ὥς χρόνῳ
ἔμελλέ σ' Ἐκτωρ καὶ θανὼν ἀποφθίσειν;*

El. 677

ἀπὸ λόμην δύστηνος, οὐδέν εἰμ' ἔτι,
quum tribus versibus ante eadem Electra dixerit (674)
οἷ γὰρ τάλαυν', ὃ λωλατῆρ' ἐν ἡμέρᾳ.

A praesente autem eo perfectum differt, quod praesente merus subjecti status, qui in durante plerumque actione constat,



perfecto vero is, qui in perfecta actione una cum statu notata conquiescit, significatur. Sed quum quivis subjecti status aut ipsius initium aut aliud facinus, ex quo prodiit, sequatur, similitudo quaedam notionis inter praesens et perfectum intercedit, qua quidem factum esse puto, ut perfectum ad praesentis saepe potestatem descenderet. Nam γέγηθα proprie significat *laetitia captus sum, bin in Freude gerathen, τέθηλε τὸ δένδρον arbor flores egit*, unde *laetor floret* notiones facile exortae sunt. Ejusdem generis est οἶδα (*ich habe erkannt, weiss, novi*) et ex omnino theodiscae linguae verba, quae vocantur *praeteritopraesentia* (*lais οἶδα*).

Curtius, *Tp. u. Mod.* p. 171, multorum perfectorum reduplicatione non perfectam indicatam esse ait actionem, sed eam, cujus vis aliquo modo augeretur, ut vetus hujus formationis potestas, qualis in praesentibus exstat, in iis remanserit. Sed quum alia institueretur in perfecto, alia in praesente reduplicationis forma, notiones etiam distinctas esse verisimile est. Quae igitur Curtius eiusmodi habet perfectà, ita fere omnia explicanda sunt, ut eum significare dicantur statum, qui ipsius initium vel eventum (*Eintritt*) sequatur. Huius generis τέθηλα et γέγηθα perfecta esse diximus, eiusdem est ἔολπα *habe die Hoffnung gefasst, κέκραγα clamorem sustuli, βέβριθα bin belastet, schwer, μέμαα bin bestrebt*. Nam *ich bin bestrebt* nihil aliud est nisi perfectum. Quo Francogallorum dicendi genus *je suis aimé* (*amatus sum, amor*) conferendum est. Tenendum tamen est perfecta meram saepe praesentis notionem recepisse, ut si δεδορκώς, quum proprie sit *der das Licht der Welt erblickt hat*, eum omnino significat *qui luce fruatur vel eum qui in vita est*. Soph. El. 65

ὥς καὶ ἐπανχῶ τῆςδε τῆς φήμης ἀπο

δεδορκότ' ἐχθοροῖς ἄστρον ὥς λάμψειν ἔτι.

Eiusdem generis est τέθηλε Phil. 259

ἡ δ' ἐμὴ νόσος

αἰεὶ τέθηλε καπὶ μείζον ἔρχεται.

Francogalli etiam, si dicunt *je suis aimé* meram praesentis notionem exprimunt.

d. Quae autem actio perfecta perfecto continetur duplicis generis esse potest. Aut enim tota actio (ut in ἔκτορα ἔοργα)



aut initium modo vel eventus actionis (*Eintritt*) perfectus est (ut in γέγηθα *laetitia captus sum*). Si tota perfecta est actio, is simul status perfecto inest, qui inde sequitur (ut in κέκτημαι *possideo*, ἐκτονα *bin Mörder*); si eventus modo actionis perfectus esse dicitur, status in continuata actione positus est (ut in γέγηθα *laetor*). Eadem igitur est quae in aoristo significationis varietas, quo ipso quoque aut absoluta continetur actio, cui initium simul et finis inest, aut actionis vel status initium (*Eintritt*, βασιλεῦσαι *regem fieri*).

e. Perfectum, quod si indicativo ponitur praesentis temporis est, secuta sunt plusquamperfectum et futurum exactum, quorum altero perfectum in praeteritum tempus, altero in futurum confertur. Futuri exacti potestas quomodo ab Atticis constituta sit infra explanabitur (§ 14 a).

§ 6.

Verbi graeci tempora uno conspectu comprehensa.

Saepe sunt verbi graeci tempora in certos redacta ordines, quorum copiam H. Schmidtus in *Doctrinae de verbi graeci et latini expositione historica* diligenter composuit. Nec tamen aoristum ceteris temporibus recte inserebant, neque quae praesto erant tempora ad eas quas postulabant temporis notiones efficiendas sufficere putabant, ut ad periphrasticam coniugationem descenderent, qua frequentes ordinum lacunas expleant. Temporum autem divisionem si instituere velimus, actionis nobis et temporis ratio habenda est. Atque quum tria distinguerentur actionis genera, unum quod praesentis, alterum quod aoristi, tertium quod perfecti stirpe continetur, ut actionis species omnibus eorum modis aeque insit, quumque in quo temporis statu actio posita esset, ipsa indicaretur indicativi forma, novem postulari videntur indicativi. Quorum qui praesto sint videamus (v. Curt. *Schulgr.* § 484).

I. Refertur igitur quae praesentis stirpe continetur actio

- a) aut in praesens tempus — indic. praes. γράφω,
- b) aut in praeteritum — imperf. ἔγραγον,
- c) aut in futurum — indic. fut. γράψω (ita tamen, ut una futuri forma et aoristi et praesentis potestas contineatur);



II. Refertur quae aoristo continetur actio

- a) aut in praesens tempus — cuius notionis nullam esse posse formam explanavimus,
- b) aut in praeteritum — indic. aor. ἔγραψα,
- c) aut in futurum — indic. fut. γράψω;

III. Refertur quae perfecto continetur actio

- a) aut in praesens tempus — indic. perf. γέγραφα,
- b) aut in praeteritum — plusquamperf. ἔγεγράφειν,
- c) aut in futurum — indic. fut. ex. γεγράφομαι.


Quum igitur aoristi in praesenti tempore positi forma non exstet, neque in futuro propriae aoristi et praesentis notiones forma distinctae sint, septem sunt verbi graeci tempora (de fut. ex. v. § 14). Reliquorum autem praeter indicativum modorum quatuor sunt genera, primum praesentis, alterum aoristi, tertium perfecti, quartum futuri (et fut. ex.). Futurum enim quum perfecto responderet, eodem jure quo illud suos postulabat modos (de conjunct. et imperat. fut. v. § 1 b). Praesentis autem et perfecti praeter indicativum modi, quum temporis notione soluti toti communes sint stirpi, non ad praesentis solum et perfecti indicativos pertinent. Referuntur enim, si in praeterito tempore collocantur, ad imperfectum et plusquamperfectum. Neque aoristi modi, quum augmento careant, praeteriti solum temporis sunt, ut in futuro saepe tempore ponantur. Sed quum reliqui modi, si aoristum in praesenti tempore collocatum excipimus, et praesentis et praeteriti et futuri temporis esse possint, eam tamen conjunctivi et imperativi naturam esse diximus, ut, quum de praesenti loquentis statu ad futurum tempus spectent, et praesentis ubique temporis sint et futuram actionem contineant.

Quae per μέλλω verbum futurae actionis significatio efficitur, hoc quidem loco non respicienda nobis est.

§ 7.

De temporum quam dicunt vi relativa.

a. Relativum esse dicunt temporum usum, si actio ita ad aliam referatur, ut vel in idem cum ea temporis spatium incidere vel tempore eam antecedere indicetur. Graeci autem verbi tempora quum ita exstiterint, ut tria quae distinguebantur actionis genera aut in praesens aut in praeteritum aut in futu-



rum tempus conferrentur, non eam exhibere apparet naturam, ut principalis ipsorum vis aut in relativo aut in absoluto usu condita sit, sed eam, ut quorundam temporum qui relativus usus sit vel esse possit ex propria eorum significatione ductus sit. Atque continent sane futurum exactum et plusquamperfectum, nisi ad imperfecti, ut perfectum ad praesentis vim hoc descenderit, eam actionem, quae altera est prior. Quae tamen res ex propria eorum temporum notione consequitur; nam quum eum significant statum, qui in perfecta aliqua actione positus est, ipsa haec actio praeterita est. Atque falso imperfecti graeci naturam in eo positam esse putant, ut eam significet actionem, quae eiusdem sit temporis in quod alia incidat. Quae quidem notio, etsi ea de causa imperfecti saepe est, quod quae actio alteram complectitur durare cogitatur, imperfecto autem quod durare fingitur continetur, nec principalis tamen est nec omnibus locis statuenda.

Atque quod aoristi indicativum et imperfectum ita inter se differre dixerunt, ut illo quod accidere narretur ponatur, hoc autem quod, quum alia res accadat, esse statuatur, etsi multis id comprobari videmus exemplis, saepe tamen imperfecto durantem aliquam actionem ita proponi cognoscimus, ut alius, quae in idem temporis spatium cadat, nullus omnino respectus sit. Neque ita semper rei eventus aoristo redditur, ut quo loco statuitur accidisse eum fingamus, (ut est in ὁ δὲ βασιλεὺς μετὰ ταῦτα ἀπέθανεν, quibus verbis obiisse tum regem indicatur) sed tempore interdum antecessit, ut si aoristus plusquamperfecti vices suscepit. Xen. Anab. 1, 1, 2 Λαρεῖος Κῦρον μεταπέμπεται ἀπὸ τῆς ἀρχῆς ἧς αὐτὸν σατράπην ἐποίησεν (cujus praefectum fecerat). Possunt denique quae in idem tempus facinora incidunt duobus concipi aoristis, si unum eorum alterum complecti non exprimitur (v. § 14 f).


b. Iam de ea quae in praesentis et aoristi participio relationis vis est agamus. Participia quum ad indicativum ex quo pendent referantur, eam plerumque vim relativam exhibent, ut quod continent eo temporis momento, quo quod indicativo ponitur accedit, aut esse aut praeteritum esse colligatur. Atque praesentis quidem participio poni id quod quum alia res accadat esse indicetur, ex durantis actionis notione quae praesentis



est consequitur. Nam quae actio alteram ut ita dicam complectitur, durare fingitur. Aoristi autem participio praeteritum plerumque facinus significatur. Aoristo enim quum absolutum contineatur facinus, quod aut tale est, ut tota quae inest actio perfecta sit, ut *Κροῖσος Ἄλυν διαβάς si transgressus erit*, aut tale, ut initium modo actionis absolutum esse dicatur, ut *γελῶσας εἶπεν quum ridere coepisset*, non mirum est, quod ubi posito aoristi participio alia narrantur, posterioris haec esse temporis accipiuntur. Fieri tamen potest, ut quae inter participium aoristi et indicativum, quocum conjunctum illud est, temporis ratio intercedat omnino non respiciatur, sed mera aoristo exhibeatur facinoris significandi potestas. Recte igitur dixerunt habendum esse his locis aoristi participium pro indicativo, cui καὶ coniunctio addatur. Cuius generis non pauca sunt apud Homerum exempla, ut Il. 5, 98 καὶ βάλ' ἐπαύσσοντα, τυχὼν κατὰ δεξιὸν ὤμον. — Plut. Thes. 14 ὁ δὲ Θησεὺς χειρωσάμενος (sc. τὸν Μαραθώνιον ταῦρον) ἐπεδείξατο ζῶντα διὰ τοῦ ἄστεος ἐλάσας, εἶτα τῷ Ἀπόλλωνι κατέθυσεν.

Absoluti autem facinoris notio quum omnibus aoristi modis aeque insit, coniunctivi etiam et optativi, si ad aliam actionem referuntur, ea saepe potestas est, ut futuri exacti, quale Latinorum est, vim adaequent, ut νέος ἂν πορήσῃς, γῆρας ἔξεις ἐνθάλῃς (v. Kruegerum, *gr. Sprachl.* ed V. 1873, § 53 b, n. 5). Atque quum aoristum interdum et perfecti et plusquamperfecti loco positum esse videamus, ut solo notato facinore qui subiecti status illud sequitur non forma sed sermonis contextu significetur, ut si pro οἱ τεθνηκότες ponitur οἱ θανόντες vel ἐποίησε pro ἐπεποιήκει (Xen. Anab. 1, 1, 2), aoristi praeter indicativum modi non simplicis solum futuri, sed futuri etiam Graecorum exacti vices saepe susceperunt. Unde propria futuri exacti notio apud Homerum omnino non exstat.

c. Romanos quum plusquamperfecto et futuro exacto merum significarent facinus neque statum simul in eo conquiescentem, totam eorum temporum naturam in relatione posuisse concedimus. Neque imperfecti alium fere instituerunt usum quam relativum. Qui tamen iis abest locis, in quibus, quum actiones inter se excipientes imperfectis reddantur, haec sola eorum vis est, ut animi in intuendis facinoribus retineantur. Saepius tamen



praesentia historica huic significandi rationi adhibita esse videmus.

DE SINGULORUM TEMPORUM USU.

Restat, ut singulorum temporum usum apud scriptores inventum explanemus. In quo quae explicatione minus egere videntur omittemus.

§ 8.

De usu praesentis.

a. Praesentis et aoristi notiones quomodo differant supra explicatum est. Ad quod discrimen praesentis et imperfecti de conatu ut vocant usus referendus est, ut si *δίδωμι* vertendum est per *offero*, *κτείνω* per *interficere studeo*. Quum enim ea saepissime inter praesens et aoristum ratio sit, ut praesenti insit actio, qua ad id quod aoristo significatur contenditur (v. § 3 c), nihil est mirum, quod praesens et imperfectum ita usurpantur, ut conatum exprimant. Est igitur *διδόναι* ea actio, qua quis *δόναι* vult, id est actio offerendi; *πείθειν* est *suadere*, *zu überreden suchen*, quum *πείσαι* sit *persuadere*, *überreden*. Atque potest *ἀποκτείνειν* idem esse quod *praeparare necem*. Soph. O. C. 992 *εἰ τίς σε κτείνει*, *wenn jemand Miene machte dich zu tödten* Schneidew. Qui conatus utrum prosperi sint an vani in medio relinquitur, unde ea interdum praesentis vel imperfecti potestas evadit, ut irritum laborem significant, ut Xen. Anab. 1, 3, 3 *Κλέαρχος τοὺς αὐτοῦ στρατιώτας ἐβιάζετο ἵεναι*, *οἱ δὲ αὐτὸν ἔβαλλον, ὅστερον δὲ ἐπεὶ ἔγνω ὅτι οὐ δυνήσεται βιάσασθαι, συνήγαγεν ἐκκλησίαν*. Plat. Prot. 310 c *τὸ ἀποδιδράσκοντα μὴ δύνασθαι ἀποδρᾶναι πολλή μωρία*. Soph. O. C. 1454 *ἰν' ἐξ ἐκείνων οἳ μ' ἀπολλύτην θάνω* (*qui interficere me studebant*). Eur. Io 1503 *ἔθνησας* *nex tibi parabatur*.

b. Proprium esse diximus stirpi praesentis, ut non eum modo subiecti statum significet, qui in durante aliqua actione constet, sed eum omnino, qui actionem aliquo modo contineat. Quem statum aut talem esse vidimus, ut actio saepius in eo repetatur, aut eum qui vel praeteritam vel futuram actionem implicet.



Atque eorum primum praesentium, quae praeteritam vel perfectam actionem continent, exemplā sunt *τίπτειν matrem esse, φύειν patrem esse, θνήσκειν mortuum esse, ἀκούειν audi-visse, γιγνώσκειν cognovisse, νικᾶν vicisse, victorem esse, προ-διδόναι prodidisse, proditorem esse, φονεύειν interfecisse, σώ-ζειν servasse, ἤκειν advenisse, αdesse, alia permulta. Proxime igitur accedunt ad perfecta, quibus ipsis quoque qui in perfecta aliqua actione subiecti status quiescit significatur. Nec ubi-que tamen, si indicativo ponuntur, perfecti indicativi locum tenent, sed inveniuntur etiam ea quae aoristi potius vel imperfecti vice fungi dicas. Permixa sunt aoristis Soph. O. T. 1025 sq.*

Oed. (ad serv.) οὐ δ' ἐμπολήσας ἢ τυχὼν μ' αὐτῷ δίδως;
(sc. *educandum me, quum infans essem, Polybo regi tradidisti*)

Oed. (v. 1039) ἢ γὰρ παρ' ἄλλον μ' ἔλαβες, οὐδ' αὐτὸς τυχὼν;

Serv. (v. 1040) οὐκ, ἀλλὰ ποιμὴν ἄλλος ἐκδίδωσί μοι.

Nam tragici imprimis poetae praesentis indicativum tum saepe ponebant, si praeteritam aliquam actionem de praesenti subiecto vel obiecto praedicari volebant (v. Schneidew. O. T. 113).

Eiusdem fere generis ii praesentium indicativi sunt, quorum, quum *πάρος ποτέ* alia praeteriti temporis adverbia apposita sint, pro aoristi indicativo vel pro imperfecto usus est. Exemplo sit Od. 9, 447

κριὲ πέπον, τί μοι ὦδε διὰ σπέος ἔσσυο μήλων
ὑστατος; οὔτι πάρος γε λελειμμένος ἔρχεται οἴων,
(i. e. *non solebas*). Quibus locis *πάσαι* et *ποτέ* adverbia aug-
menti quasi vices susceperunt.

Praesentis pro futuro usus in eundi imprimis verbis ob-
venit (*πορεύεσθαι, ἔρχεσθαι, ἵεναι*). Futuri enim potestatem
ex eundi omnino notione prodiisse commemoravimus. Est tamen
in aliis etiam, ut Il. 11, 365 ἢ θῆν σ' ἐξανύω γε (*profecto te*
conficio Kuehner.) καὶ ὕστερον ἀντιβολήσας. Soph. Phil. 113

αἶρεϊ τὰ τόξα ταῦτα τὴν Τροίαν μόνα.

Saepius invenitur in oraculis (vel Herod. 7, 140 οὔτε γὰρ ἡ
κεφαλὴ μένει ἔμπεδον), ut quod stare indicetur hoc dicendi
genere exprimatur (v. Schneidew. ad Soph. Phil. 113). Qui ta-
men praesentis indicativi in interrogando interdum pro futuro
vel praesentis coniunctivo obveniunt, ut Plat. Gorg. 480 ἢ πῶς
λέγομεν, Thuc. 6, 77, 2 ἢ μένομεν ἕως ἂν ληφθῶμεν (Krueg.



§ 53, 1, n. 9), ita explicandi sunt, ut praesentis magis status, quam futurae actionis respectum haberi dicamus. Vertitur enim πῶς λέγομεν per *quid dicere hic oportet?* et ἢ μένομεν per *an ea sumus mente ut maneamus?*

Falso autem his aut praeteritae aut futurae actionis praesentibus ipsam actionem repraesentari dixerunt.

§ 9.

De usu imperfecti.

Duae imprimis sunt adhibendi imperfecti causae. Ponitur enim primum, ubi ad progredientem ut ita dicam praeteriti temporis actionem vel ad statum aliquem animus convertitur. Quae quum durare fingantur imperfecti poscunt formam. Alter est usus, ubi actio in idem in quod alia tempus incidere dicitur, quum hoc etiam pacto durantis actionis species postuletur. Quem posteriorem imperfecti usum appellaverunt relativum, quum altera actio ad alteram referatur. Nec tamen in significanda relatione primaria imperfecti graeci vis posita est.

a. Primum igitur de absoluto imperfecto agamus, quo durans vel progrediens actio statuitur. Cuius ponendi varias esse videmus causas. Commorantis esse solet in narratione. Nam quum aoristi indicativo factum aliquid esse referatur, imperfecto autem in intuenda actione nondum absoluta animus retineatur, aoristis cum imperfectis coniunctis modo profluit oratio modo subsistit. Quo eleganti dicendi genere Homerus frequenter usus est. Atque recte Kruegerus hujusmodi apud eum imperfecta praesentium historicorum loco esse ait. Neque eas imperfecto concipi dicamus actiones, quae minoris sint momenti, sed eas potius, quibus narratio non tam continuatur quam exornatur. Atque ita saepe duobus aoristis imperfecta interposita esse invenimus, ut quae intra temporis spatium aoristis utrimque conclusum facta sint describantur, ut est Soph. Aj. 296, quo loco Tecmessa insanientem Aiace[m] verbis depingit

ἔσω δ' ἐς ἡλθε συνδέτους ἄγων ὁμοῦ
ταύρους, κύνας, βοτῆρας, εὐερόν τ' ἄγραν,
καὶ τοὺς μὲν ἠὲ χένιζε, τοὺς δ' ἄνω τρέπων
ἔσφαζε καὶ ῥάχιζε,

κάπειτα... (v. 308) παίσας κάρα θ' ὠύξεν. Quibus locis ea



plerumque imperfecto ponuntur, quae durant, aoristo autem quae repente accidunt nec temporis spatium explere finguntur. Neque id mirum. Facilius enim et aptius quae durant quam quae cito transeunt describuntur. Ne quis tamen in hac omnino re aoristi et imperfecti discrimen positum esse putet, quum et ea quae vel celerrime absolvuntur imperfecto et ea quae per longum trahuntur tempus aoristo concipi possint. Atque id monemus, ne quis nimis subtile inter aoristi et imperfecti apud Homerum imprimis usum discrimen statuatur; poetam enim vel metro saepius ut alterutrum poneret ductum esse intelligimus, ut Il. 1, 465

αὐτὰρ ἐπεὶ κατὰ μῆρ' ἐκάη καὶ σπλάγχν' ἐπάσαντο,
μίστυλλόν τ' ἄρα τᾶλλα καὶ ἀμφ' ὀβελοῖσιν ἔπειραν.

(v. Krueg. II, § 53, 2, n. 1).

Eae autem imprimis actiones imperfecti formam receperunt, quae dignae poetae videbantur, in quibus intuendis audientium vel legentium animi retinerentur, ut Tecmessae verbis supra allatis in Aiakis facinoribus mentes figuntur. Aliud exemplum est Il. 5, 370


ἡ δ' ἐν γούνασι πίπτει Διώνης δὲ Ἀφροδίτη

ubi, quae spectanda sane res est, corruentem vides Venerem. Appositis interdum ad imperfectum adverbis ut σπουδῇ, ὄχα, τὴν ταχίστην, αὐτίκα, in ipsum actionis decursum vel ad hominum in ea gnavitatem animus intenditur. Celeritatis enim notionem imperfecti naturae minime repugnare diximus. Atque multa quae rei alicui impensa est opera vel laboris diuturnitas indicari imperfecto potest, ut si sculptor confectae statuae subscribit ἐποίει (v. Curt. Erl. p. 173). Saepe vero ea imperfecti potestas statuenda nobis est, ut, quum magni fuerit actio momenti, haec ipsa oculis subjiatur. Soph. O. T. 1391

Oed. ἰὼ Κιθαιρών, τί μ' ἐδέχον; τί μ' οὐ λαβὼν
ἔκτεινας εὐθύς;

Nam Oedipus eo periisse sibi videbatur, quod, quum natus esset, non interfectus sed in Cithaeronem montem servatus esset. Idem v. 1401 haec loquitur

ἄρα μὲν μὲννησθ' ὅτι
οἱ ἔργα δράσας ὑμῖν, εἴτα δεῦρ' ἰὼν
ὅποι' ἐπρασσον αὐτίς; ὦ γάμοι, γάμοι κτλ.



Qua re adductum puto esse Naegelsbachium (X. Exc. ad II.), ut imperfectum tum ab Homero adhibitum esse doceret, quum durans actionem sequeretur effectus („nachhaltige Wirkungen“). Nec omnibus tamen imperfectis aoristi loco apud Homerum positis hanc inesse vim putandum est. *Ἀμείβετο* denique, *ἐπειρώτα ἔλεγε* imperfectis, quae ipsa plerumque sequitur oratio, nihil aliud efficitur, quam ut durans loquentis status significetur. Neque his de quibus diximus locis actionem imperfecto conceptam imperfectam remansisse exprimitur, est modo progredientis magis quam initae vel perfectae respectus. Atque similem omnino haec imperfecta praesentibus historicis naturam praebent, quibus ipsis quoque tantopere animi in actionis decursu figuntur, ut temporis praeteriti significatio, etsi supplenda est, forma tamen negligatur.

b. Est genus praeterea imperfectorum, quod cum *τίπτειν*, *νικάω θνήσκειν* praesentibus (*matrem, victorem, mortuum esse*) conferendum est. Non id quidem commemorabimus, quod quae de praesentibus illis ducta sunt imperfecta eandem retinuerunt vim (*ἐνίκα vicerat, victor erat*), ut plusquamperfectorum loco esse videantur, sed quod ea etiam exstant, quae, etsi statum simul actionem secutum continent, quum non perfectam sed quae accidere dicatur actionem significant, aoristorum potius quam plusquamperfectorum locum obtinent. Exemplo sit *ἔλειπε* Soph. Trach. 76

Dèjan. *ἄρ' οἴσθα δῆτ' ὦ τέκνον, ὡς ἔλειπέ μοι
μαντεῖα πιστὰ τῆςδε τῆς χώρας πέρι;*

Nam manibus tenebat tabulam, cui oraculum illud insculptum erat. (v. Schneidew. ad l. c.); Il. 2, 106

*Ἀτρεὺς δὲ θνήσκων ἔλειπεν πολύαρον Θυέστη (sc. τὸ
σκήπτρον),*

αὐτὰρ ὁ αὖτε Θυέστ' Ἀγαμέμνονι λείπε φορῆραι.

Nam Agamemnon sceptrum adhuc tenet. Eodem modo *δίδου* et alia imperfecta apud Homerum imprimis adhibita sunt. Quod imperfectorum genus ad id interdum prope accedit, quo magni actionem fuisse ponderis indicatur, ut vel, utrum eorum subsit, discernere vix possis.

c. Alter est imperfecti usus, si actio actionem amplecti dicitur vel si ad aliam refertur. Si quid enim eodem esse tem-



pore narratur, de quo sermo est, durantis actionis vel status notionem postulari manifestum est. Saepe igitur imperfecto eae concipiuntur actiones, quae certo aliquo ac notato temporis momento esse vel fieri dicuntur, ita tamen ut fieri iam coeperint („*Nebenumstände*“). Atque duae saepe actiones inter se relatae, si idem temporis spatium explere dicuntur, duobus redduntur imperfectis. Soph. Phil. 1271

τοιοῦτος ἦσθα τοῖς λόγοις, ᾧτε μου
τὰ τόξ' ἐκλεπτες, πιστός, ἀτηρὸς λάθρα.

d. Magnas autem grammaticis in explicando difficultates verborum aliquot imperfecta moverunt, quibus *iubendi* aut *movendi* vel *proficiscendi* potestas inest, ut in *κελεύειν πέμπειν βοηθεῖν πλεῖν ἄγειν*. Quae aoristorum saepe locum obtinere videntur. v. Schmidtium, *der griech. Aor.* p. 12; Kuehnerum § 383.

In quo duo imperfectorum genera inter se diversa confusa esse puto. Ad alterum genus ea refero, quibus non actio solum sed durans simul qui eam sequitur status significatur. Pertinent huc verba *iubendi orandi suadendi*. Nam si quid aliquem iubeo vel oro, quum in iis quae postea agat ut dicto obediens sit petam, durare iussum fingitur, unde iubendi verbum praesentis vel imperfecti formam saepe recepit. Sunt igitur haec imperfecta eiusdem plane generis, cuius *ἔλειπε* Soph. Trach. 76; Il. 2, 106, et *δίδου* esse diximus.

Alius sunt verba *proficiscendi*, ut *βοηθεῖν* (*zu Hilfe eilen*) *πλεῖν ἄγειν*. Thuc. IV, 44 *κοριορτόν δὲ ὥς εἶδον καὶ ὥς ἔγνωσαν, ἐβοήθουν εὐθύς*. Quibus imperfectis durans necdum absoluta actio significatur. Proponit igitur Thucydides eos qui, quum ad auxilium ferendum profecti sint, in ipso adhuc occupati sint progrediendo vel auxiliari studeant. Quum enim ea saepe sit propria aoristi vis, ut effici aliquid indicetur, neque qui auxiliari studet (*βοηθεῖν*) auxilium ferre (*βοηθῆσαι*); vel qui in locum aliquem navi contendit (*πλεῖν*) eo quo petit appellere (*πλεῦσαι*) dicatur, imperfectum, quo rei conatus, quam aoristum, quo effectus continetur, ponere maluerunt, quum suscepta quidem nec perfecta tamen res exprimenda esset. Est sane his locis aoristi quoque, quo non effici solum rem sed etiam suscipi eam indicari possit usus, ut quomodo *φυγεῖν* aoristo et

die Flucht ergreifen et entkommen continetur, βοηθῆσαι πλεῦσαι et qui ejus generis aoristi sunt, aut initium actionis, ut sich zur Hilfe aufmachen, abfahren, aut effectum significant, ut wirklich Hilfe bringen, zu Schiffe hingelangen. In quo monendum praeterea est duplicem saepe exsistere imperfectorum potestatem, alteram qua praeparari rem, alteram qua inceptam rem perfectam nondum esse indicetur, ut ἔπλεον aut idem sit quod sie rüsteten zur Abfahrt, aut sie waren auf der Fahrt begriffen.

§ 10.

De usu aoristi.

a. Est mirus interdum aoristi in tragicorum poetarum dialogo usus, quum alter iudicium, quod inter alterius verba animo sibi conformavit, ubi ad ipsum sermo redit, aoristo profert. Cujus generis sunt ἤρεσα ἐπῆρεσα ἀπόμοσα (detestor) ξενῆκα (ἔπος), ut Eur. Iph. T. 1025

Or. ἀλλ' εἰ σὲ σοῶσει καὶ μέ, κινδυνευτέρ.

Iph. οὐκ ἂν δυναίμην, τὸ δὲ πρόθυμον ἤρεσα.

Unum exstat apud Homerum exemplum Il. 17, 173 τῷ δέ σευ ὠνοσάμην πάγχυ φρένας (sc. quum verba tua audirem). Quibus aoristis eam significari sententiam, quae animo jam sit conclusa, ex eo intelligitur, quod apud Euripidem Heracl. 437 pro ἤρεσα scriptum est αἰνέσας ἔχω. Simile est, quod animi omnino affectus, quum ipsa verba praecesserit, aoristo pronuntiat, ut Sophocles Phil. 1314 Neoptolemum ad Philoctetam, qui patrem eius modo praedicasset, haec facit loquentem

ἦσθην πατέρα τὸν ἄμὸν εὐλογοῦντά σε

(i. e. laetitia captus sum, quum patris laudes ex te audirem). Quo attinent ἔκλαυσα ἐγέλασα, qui vulgo vertuntur ich muss weinen, lachen, ἀπέπτυσσα ὄμωξα aoristi.

Alius generis sunt dicendi iubendi suadendi iurandi ubi in praesens tempus cadere videntur aoristi, ut si εἶπον idem est quod edictum volo (Eur. Med. 272), ἀπόμοσα idem quod iuratum volo, ich schwöre hiermit (Soph. Phil. 1289; Eur. Cycl. 265). v. G. Hermannum ad Vig. n. 162, p. 935. Quibus aoristis quasi iam dictum sit aliquid statuitur, ut, quum stare sententiam exprimatur, maior verbis accedat gravitas. Neque



his locis augmenti vim neglectam esse putandum est. Qui tamen poetarum et Euripidis quidem imprimis usus raro admodum invenitur. Prodiisse autem videtur ex prioro illo dicendi genere, quum aoristorum aliquot, qui illuc pertinent, hunc etiam in modum usurpatos esse videamus, ut ἤρεσα ἀπώμοσα.

De quibus aoristi generibus bene disseruit Kuchnerus § 386, 9. Primus eorum exempla collegit Hermannus, quae quum permixta essent, in certos ordines descripta sunt a Mollero (*Zeitschr. f. Alterthumsw.* 1846, p. 1065 sq.), quem Kuehnerus secutus est.

Similis est ratio, si aoristi indicativo, quum τί οὐρ οὐ, τί οὐ interrogationis signum appositum sit, continetur exhortatio. Xen. Cyr. 2, 1, 4 τί οὐρ, ἔφη ὁ Κῦρος, οὐ καὶ τὴν δούραμιν ἐλεξάς μοι; *varum sagtest du mir nicht schon, sage mir sofort.*

b. Dicendum denique est de aoristo apud tragicos invento, quo *conatum rei faciendae sine effectū* contineri aiunt, ut si quis qui necare aliquem studuit nec tamen interemit dicat ἔκτεινα. Soph. Ai. 1127

Menel. δίκαια γὰρ τόνδ' εὐτυχεῖν πτείναντά με;

Teuc. πτείναντα; δεινόν γ' εἶπας, εἰ καὶ ζῆς θανών.

Ubi recte Kuehn. annotavit § 386, 12 nunquam posse aoristo significari conatum. Quum tentata nec tamen perfecta res imperfecto exprimi soleat, hoc iis locis convenire putes. Est autem hic ea aoristi vis, ut non effectam sed susceptam modo actionem significet, quum aoristo et effici aliquid et suscipi indicari possit. Nam quo pacto φυγεῖν aut idem erat quod *die Flucht ergreifen* aut quod *entkommen*, eodem poetae ἔκτεινα aoristum non *interfeci* solum, sed etiam *interficere suscepi* significare putabant. Non minus enim qui fugam capessere dicitur, num feliciter fugam peragat, in medio relinquitur.

c. Optativus participium infinitivus modi quo in tempore ponendi sint, ex regente plerumque enuntiati verbo cognoscitur. Praeteriti temporis notio subest Thuc. 1, 20 Ἀθηναίων τὸ πλῆθος Ἰππαρχον οἶονται ὑφ' Ἀρmodίου καὶ Ἀριστογείτονος ἀποθανεῖν, futuri Od. 6, 323 δός μ' ἐς Φαίηκας φίλον ἐλθεῖν ἢδ' ἐλεεινόν. (de conjunct. et imperat. v. § 1 b). Collecta saepe sunt verba, quibus regentibus aoristi infinitivus aut praeteriti esset aut futuri temporis. Quod inutile esse puto, quum

temporis notio non ex verborum generibus, sed ex toto sermonis contextu pendeat. Nam ea etiam verba, quae ad futurum plerumque tempus spectant, ut ἐλπίζειν ἔλπεσθαι, praeteriti temporis aoristum interdum ducunt, ut Il. 7, 191 ἔλπομαι ἐν Σαλαμῖνι γενέσθαι τε τραφέμεν τε. v. Pfablium p. 20.

d. Sunt autem cum aoristi praeter indicativum modis praesentis modi comparandi, ut quae utrorumque natura sit recte intelligatur. Nihil autem interest aliud, quam quod inter proprias aoristi et praesentis notiones interesse diximus. Participia quomodo differant supra explicatum est (§ 7 b). Τελέσας δακρύσας aoristis qui utitur, non desiisse aliquem lacrimare vel ridere ait, sed coepisse, ut inter ea etiam quae sequuntur affectui eum indulgere cogitetur. Ejusdem generis praeter alios multos βιώσας aoristum esse puto, qui obvenit in λάθε βιώσας. Nam recte H. Schmidtius *der griech. Aor.* p. 23 monet, ne quis vertat *latueris quum vita defunctus sis*, quum aliter esse vertendum ex Plutarchi libello, quo de praecepto illo agitur, intelligatur. Videtur igitur huius verbi aoristus, quum eum significaret, qui vita donatus esset, eam plane recepisse potestatem, ut iam eum qui vivit significet. Quo hos contulerim locos Soph. O. T. 1487

· νοούμενος τὰ λοιπὰ τοῦ πικροῦ βίου
οἷον βιῶναι σφὸς πρὸς ἀνθρώπων χρεῶν,

et Aeschin. in Ctes. p. 78, 33 ed. Steph. περὶ δ' εὐγνωμοσύνην καὶ λόγου δύναμιν πῶς πέφυκε; δεινῶς λέγειν, κακῶς βιῶναι.

De imperativo disseruit H. Schmidtius, *De imperativi temporibus in lingua graeca*, Viteb. 1833, quo cf. Mullachium, *Griech. Spr.*, in encyclopaedia ab Erschio et Grubero edita p. 118, 7. Falso grammatici aoristi imperativo celeritatis notionem addebant. Quem errorem etsi ipse God. Hermannus locis aliquot recepit. (v. Schmidt. p. 3), recte tamen ille animadvertit observasse Apollonium Dyscolum imperativos γράψον et σκαπάτω τὰς ἀμπέλους hoc differre a praesentis imperativis γράψε et σκαπέτω, quod, quum imperativis praesentis aliquis iubeatur istis negotiis occupatus esse, aoristi praecipiant ea absolute (vel perficere). Quod sane discrimen a Schmidtio imprimis prolato inter aoristi et praesentis imperativum intercedit.



Recte igitur Mullachius Euripidis verba Phoen. 1721 τᾷδε τᾷδε βᾶθ' ἰ μοι, τᾷδε πόδα τίθει πάτερ ita explicavit, ut βᾶθ' aoristo caecum senem ut ire incipiat, τίθει autem praesente ut ire pergat moneri dicat. Atque ea saepe in praesentis imperativo vis inest, ut quum re aliqua occupatum esse aliquem iubeamus, ut extemplo eam aggrediatur postulemus.

§ 11.

De usu perfecti.

a. Perfecto eodem iure quo praesentis indicativo (§ 1 c) praesentis temporis notio deesse potest. Rarus enim obvenit gnomici perfecti usus. Plat. Protag. 328 b ἐπειδὴν γὰρ τις παρ' ἐμοῦ μάθῃ, ἐὰν μὲν βούληται ἀποδέδωκεν ὃ ἐγὼ πράττομαι ἀργύριον, ἐὰν δὲ μή, ἐλθὼν ἐς ἱερὸν ὁμόσας ὅσου ἂν φῇ ἄξια εἶναι τὰ μαθήματα τοσοῦτον κατέθηκεν, ubi gnomico κατέθηκεν aoristo ἀποδέδωκεν perfectum appositum est. Inveniuntur etiam perfecta historica, ut Xen. Hell. 7, 1, 41 Ἐπαμεινώνδας ἔγνωκε στρατευτέον εἶναι ἐπὶ τὴν Ἀχαΐαν Πεισίαν οὖν πείθει προκαταλαβεῖν τὸ ὄνειον, ubi ἔγνωκε falso a quibusdam in ἔγνω mutari Kuehnerus § 384, 3 recte animadvertit.

b. Perfecto et actio continetur et qui inde sequitur subiecti status. Actio vero aut ea est quae omni ex parte absoluta (ἐκτονα), aut ea quae incepta est (γέγηθα). Perfectorum igitur si certa distinguere velimus genera, et id quaerendum nobis est, utrum absoluta omnino an incepta modo actio singulis insit, et quae inter actionem et statum ratio sit spectabimus (v. § 5 d). Ac Schmidtus quidem, quum id solum quaereret, utrum actionis major an status respectus haberetur, hanc instituit perfectorum divisionem (*Doctrinae etc.* II, p. 10; *der gr. Aor.* p. 30). Distinguit 1) solche, in denen die Handlung eine ganz gleiche Berechtigung mit dem Zustande hat und ganz bestimmt von diesem geschieden ist, z. B. ὃ πόποι ἦ δὴ μοι Ὀδυσσεὺς ἐσθλὰ ἔοργεν 2) solche, in denen diese Unterscheidung schon schwächer ist und der Zustand viel mehr berücksichtigt ist als die ihm voraufgegangene Handlung, z. B. ἄρμα δὲ οἱ χρυσῶ τε καὶ ἀργύρῳ εὖ ἥσκηται 3) solche in denen die Handlung ganz zu-



rücktritt und nur als ein aufgehobenes Moment im Zustande zurückbleibt, z. B. γέγηθε δέ τε φρένα Αητώ.

Statum aut talem esse diximus (§ 5 d), qui in continuata actione constet, ut qui in γέγηθα status est, exortam laetitiam sequitur, aut talem, qui absoluta actione efficitur (κίετημαι ich habe erworben, besitze; οἶδα ἔγνωκα cognovi, novi). Tertium est genus, si factum aliquod ea solum de causa ponitur perfecto, quod refertur ad subiectum vel de eo praedicatur, ut Od. 29, 86

ὦ πόποι· ἦ δὴ μυρί' Ὀδυσσεὺς ἐσθλὰ ἔοργεν,
et Il. 24, 391

τὸν μὲν ἐγὼ μάλα πολλὰ μάχη ἐνὶ χυδανείῳ
ὀφθαλμοῖσιν ὅπωπα.

Quibus locis perfecto neque is significatur subiecti status, qui actionem secutus sit, neque is qui in continuata actione constet, sed is qui rem aliquam continere dicitur, quia vel ab eo de quo sermo est perfecta est vel ei accidit. In quo perfectorum genere actionem et statum laxo modo cohaerere apparet. Falso autem in hac sola ad praesentem subiecti statum relatione propriam posuerunt perfecti vim, quum nec vetusta ea esse videatur (v. § 5 b) neque totam reddat perfecti naturam. Praesentis enim temporis notio perfecti indicativo non ex perfecti sed ex indicativi natura accedit (§ 1 a). Persaepe vero aoristum eandem plane notionem efficere videmus (§ 5 c). Sunt eiusdem denique potestatis praesentia, de quibus § 8 b egimus (νικᾶν vicisse, προδιδόναι prodidisse).

c. Inveniuntur quaedam apud Homerum perfecta, γέγωνε et ἀνήροθεν (ἐπενήροθεν), quae non perfecti solum vel praesentis, sed imperfecti simul et aoristi notionem exhibent (v. Krueg. II, § 53, 3 n. 4). Magnam igitur subesse videmus temporum inopiam, quum non imperfectum solum et aoristus, ut in ἔκλυε ἔχραε, sed perfectum praeterea una comprehendantur forma.

§ 12.

De usu plusquamperfecti.

a. Graecum perfectum quum a latino differat (§ 7 c), huius fere semper loco aoristus est, ut in iis enuntiatis, quibus coniunctiones quaedam temporales antecedunt. Xen. Anab. 6, 3,



21 ἐπεὶ δὲ ἐδείπνησαν τάχιστα, παρεγγέλθη τὰ πρὸς κατασβεννύναι πάντα. Quin ne ab iis quidem locis aoristum abhorre vidimus, quibus graecum plusquamperfectum adhiberi solet (Xen. Anab. 1, 1, 2 ἥς βασιλεύοντι ἐποίησεν, cuius praefectum fecerat), quum actio solum neque status simul forma exprimitur.

b. Quod autem plusquamperfectum aoristi interdum locum obtinere videtur, non tam ex eius natura quam ex narrationis genere explicandum est. II. 5, 65

τὸν μὲν Μηριόνης ὅτε δὴ κατέμαρπτε διώκων
βεβλήκει γλουτὸν κατὰ δεξιόν,

(als er ihn ereille, hatte er ihn auch schon getroffen, war er schon getroffen Kuehn.); 5, 696

τὸν δ' ἔλιπε ψυχὴ, κατὰ δ' ὀφθαλμοῦν κέχντ' ἀχλὺς.

Quibus locis non ipsa ponitur actio sed praecipitur qui eam sequitur status. Neque hic plusquamperfecti usus ab eo differt, qui perfecti est in Soph. Phil. 75 εἴ με τόξον ἐγκρατὴς αἰσθάνεται, ὅλωλα vel ab eo qui futuri exacti est apud Aristoph. Ran. 1027 φράζε καὶ πεπράζεται.

§ 13.

De usu futuri.


a. Tria distinguimus futurorum genera. Futuri enim cum principio notionem fuisse vidimus, ut significaret statum, qui ad actionem aliquam adduceret. Qui status si in durante constabat actione, cuius effectus indicabatur aoristo, reddi solebat praesente (§ 3 c), quod non minus quam futurum eundi saepe notionem (v/i) continere intelligimus (v. Curtium, Schulgr. § 250; Erl. ad § 250). Status vero ipsa actione solutus, si talis erat, ut ad illam contendere videretur, futuri formam recepit. Quae vetusta futuri potestas iis servata est locis, quibus non per werden, sed per wollen futurum vertitur (§ 1 c), ut Soph. O. T. 54

ὥς εἴπερ ἄρξεις τῆςδε γῆς, ὥςπερ κρατεῖς,
σὺν ἀνδράσιν κάλλιον ἢ κενῆς κρατεῖν.

Tr. 731

σιγᾶν ἂν ἀρμόζοι σε τὸν πλείω λόγον,
εἰ μή τι λέξεις παιδὶ τῷ σαντῆς

(i. e. wenn du deinem Sohne nichts verrathen willst). O. T. 940
τύραννον αὐτὸν στήσουσιν, regem eum esse volunt). Quibus



futuris γέγηθα τέθηλα perfecta respondent. Alterum est genus, quod et ad prius illud et ad tertium quod statuimus accedit, si status is esse dicitur, qui futuram omnino actionem contineat. Valet autem haec futuri potestas, ubicunque destinatum aliquid esse exprimitur vel futura aliqua actio magna quadam cum vi de subiecto praedicatur. Quod genus ἔοργα ἔκτονα ὅποια perfectis respondet (v. § 11). Atque haec perfecta quomodo cum praesentibus pro perfectis positae apte conferuntur, illis etiam futuris praesentia in oraculis praesertim futurorum loco inventa (§ 8 b) congruunt. Tertium est, si status notio ita recessit, ut futurae solius actionis respectus habeatur (cf. § 1 c).

b. Proprium autem est futuro, ut praeter ipsam status et actionis significationem alias etiam exhibere possit notiones. Nam subest interdum notio *sollen*, ut Xen. Cyr. 8, 6, 3 σατράπας δοκεῖ πέμψαι μοι, οἵτινες ἄρξουσιν τῶν ἐνοικοούντων, aut notio *können*, ut οὐκ ἔχομεν ὅτου σίτον ὀνήσόμεθα. Qui usus in status significatione positus est. Atque quum eadem notio *sollen* coniunctivi saepe sit vel optativi, futuri indicativum horum interdum modorum locum obtinere videmus, ut si inest exhortatio vel si pro optativo est in enuntiatis relativis. Od. 14, 331 ὁμοσερ ἔμμενα ἑταίρους οἱ μιν πέμψουσιν, *welche ihn geleiten sollten*. Quumque indicativo futuri et coniunctivo modo hoc commune sit, quod actionem ad effectum adducendam continent, est ut in huius omnino notionis usum futuri indicativus pro coniunctivo interdum adhibeatur, ut si ὅπως coniunctio vel οὐ μή negatio, quum coniunctivum plerumque ducant, cum futuro componuntur.

Formula autem τί λέξεις tragicis poetis usitata (Krueg. II, 2, § 53, 7 n. 1) quum eandem fere habuisse videatur vim ac nostrum *was willst du damit sagen*, ita omnino usurpata est, ut ab eo, qui verbis alicuius perturbatus esset, proferretur.

c. Futuri potestas non futuri solum forma, sed μέλλειν etiam verbo effici potest. Neque id mirum est, quum futurum etiam ita exstiterit, ut eundi notio stirpi adderetur. Atque de vario quidem eius verbi usu hoc loco non dicemus; sufficiat explicasse, quid inter praesentis futuri aoristi infinitivos ei coniunctos discrimen sit. Praesentis infinitivus ubi additur, in re aliqua facienda occupatum aliquis iri dicitur, unde ea saepe



prodit sententia, ut extemplo id fieri intelligatur (v. Krueg. § 53, 8, n. 3; de praes. imperativo v. § 10 d). Aoristo autem rem absoluturum aliquem esse indicatur. Saepius tamen quam aoristum futuri infinitivum adhibitum videmus, quo nihil aliud nisi futuram esse actionem exprimitur. Qui futuri infinitivus aliis etiam invenitur locis, quum ea interdum verba, quibus quis ad futurum rei effectum spectare dicitur, sequatur. Imprimis autem hoc dicendi genus, etsi Homero non alienum est, Thucydidi proprium fuisse videtur (Krueg. § 53, 7, n. 5). Il. 12, 198 μέμασαν τεῖχος ῥήξιν. 14, 89 μέμονας πόλιν καταλείπειν. — Thuc. 6, 6, 1 οἱ Ἀθηναῖοι ἐφίεντο τῆς Σικελίας ἄρξιν. Recipiunt autem interdum futuri infinitivum haec apud Thucydidem verba (v. Boehmium ad Thuc. 1, 27, 2) βούλεσθαι, διανοεῖσθαι, πειρᾶσθαι, ἀδυμεῖν, δυνατοὶ ὄντες, δύνασθαι. Cf. 2, 29, 5 ἔλεγε πείσειν Σιτάλκην πέμψειν στρατιάν, quo loco, ut futuri infinitivi rationem reddamus, aequata inter se esse tempora non dicemus (Krueg. l. c. *Assimilation*). Idem est usus in Soph. Phil. 1394

τί δῆτ' ἂν ἡμεῖς δοῶμεν, εἰ σέ γ' ἐν λόγοις
πείσειν δυνησόμεσθα μηδὲν ὦν λέγω;

Futuri igitur infinitivum ita pro aoristi vel praesentis infinitivo usurpari posse statuimus, ut meram actionem in futuro tempore positam significet.

Atque μέλλω verbo eae etiam futuri temporis notiones, quarum nullae sunt propriae formae, exprimi possunt, ut πλησίον ἤδη ἦν ὁ σταθμὸς ἐνθα ἔμελλον καταλύσειν (*ubi deversuri erant* Curt.).

§ 14.


De usu futuri exacti.

Futuri exacti est forma tantum apud Homerum neque notio. Nam quae inveniuntur reduplicatae formae futura, non magis differunt ab aliis, quam reduplicati aoristi (λελαβέσθαι) a simplicibus (λαβέσθαι) (§ 5 a). Attici autem reduplicatae formae novum instituerunt usum, quum perfectum in futurum tempus translatum inesse putarent. Differt igitur graecum futurum exactum a latino, quum et status insit et actionis significatio. Est autem futurum exactum, si τεθνήξω et ἐστίξω



exemeris, medii tantum proprium, ita tamen, ut passivae plerumque potestatis sit. Cuius rei ea videtur esse causa, quod apud Homerum etiam, quum medii generis multa essent futura re-duplicata, perpauca inveniebantur generis activi.

Atque quod iis saepe locis futurum exactum apud tragicos imprimis poetas adhibitum videmus, quibus simplex futurum ponendum fuisse existimes, ita sane explicabimus, ut poetas Homeri usum sequi sibi visos esse dicamus. De eo autem futuri exacti usu, qui obvenit in *γράφει καὶ πεπράγεται* v. § 12 b.



Σπ. Γλ.

